

Q. HORATII FLACCI
C A R M I N A.

RECOGNOVIT ET PRAEFATVS EST

LVCIANVS MVELLER.

EB



LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.
MDCCLXXI.

GVILIELMO · SCHMITZIO

COLONIENSI

D

L · M

PRAEFATIO.

Novam Horatii librorum recensionem ut instaurarem cum monuisset bibliopola honestissimus, verba quidem ipsa poetae pro fide constituendi non ita magnus, L. B., mihi evenit labor, quippe qui pridem innutritus lectioni eius non modo carminum pleraque sed etiam variantium quae dicuntur lectionum et coniecturarum potissimas memoria tenerem.

Sed enim largior quam vellem praefandi suppetebat materia, quamquam ne nimis expatiarer cum editionis huius instituto finibusque legitime concessis tum negotiorum quae haud sane levia aderant multitudine praepediebamur. Inde re cum cura pensitata eo descendi ut pauca quaeque pridem in margine exemplaris mei notassem hic loci proferrem additis tamen nonnullis quae mihi multa audienti, multa legenti, ut Sallustii verbis utar, cognitu digna esse viderentur. Itaque continuam et ad ardua ubique subsistentem adnotationem nemo expectarit a nobis, sed desultoria ferme opera perfuncturi praeter pauca ab aliis observata potissimum ea quae nova et indicta ore alio reperimus commentando persequemur. Praeterea ubicumque coniecturas et aliena a librorum fide recepimus, sedulo indicabuntur.

Ac primum quidem Horatianos quotquot extant codices saeculum X sive VIII aetate non superare sat

constat. Nam quod olim Haenelii auctoritate adductus librum saeculi VI Augustoduni extitisse putaram, eum potius scriptura Carolingica exaratum et reliquis supparem tempore postea cognovi [cf. schol. Hor. ed. Hauth. tom. I, add. et corr. VIII. VIII]. Neque ulla est causa cur Blandinium antiquissimum ultra annum octingentesimum p. Chr. n. ascendere existimemus. Apparet autem Flacci paucissima exemplaria servata tempore Merovingiorum litteris haud sane opportuno, unde non mirum quosdam errores membranarum omnium saeculi VII vel VIII originem prae se ferre.

De Blandiniis membranis quid statuerem et alibi plene significavi [ann. phil. a. 1861; 1862 pg. 653; 727] nec nunc oportet repeti, postquam Zangemeisterus meus, qui et libello academico de Horatii vocibus singularibus Berol. 1862 edito optime consuluit Flacco, fidem Cruquii male a nonnullis suspectatam feliciter utque nullus iam dubitando locus sit relictus adseruit Musei Rhenani XVIII, 321 sqq. — Ceterum vix est quod moneam nos non Blandinius magis quam reliquos libros servili coluisse veneratione sed ut solemus iudicio ac rationi plus detulisse quam membranarum omnibus.

Secuti igitur sumus primum codices Blandinius, deinde Graevianum, Leidensem, Vossianum, Reginensem Bentleii, qui ut ingenio reliquos Horatii carminum editores praestitit ita membranarum longe optimis — a Cruquio adhibitas si omiseris — videtur esse usus; praeterea Orellii Obbarii Kirchneri Holderi Kelleri aliorum libros subinde respeximus. Et nobis περιπλομένων ἐνιαυτῶν unus alterve codex Flacci in manus incidit, sed statim ut abiceremus ubi rimantibus in noto saturarum versu apparuisset triste illud 'rabiosi tempora signi' pro eo quod scripsisse poetam et Blandinii vetustissimi auctoritate et simplicis ratiocinationis pondere adstruitur. Equidem ut dicam quod sentio a novis quae sub-

inde prompsere docti sive proment subsidiis nihil fere ad Horatii carmina commodi proventurum esse existimo nisi ut de Mavortii recensione certius quam hactenus licet iudicari possit. Quam tamen ipsam nisi vehementer fallor apparebit tali doctrina tali-que consilio esse institutam quo pleraeque omnes διορθώσεις scriptorum Latinorum saeculis quarto quinto sexto factae, nempe ut in frivolis fere ac nullius momenti vitiis tollendis subsisteret Mavortius, utque locos difficiliore si modo temptaret corrumpere potius quam corrigeret. Vt iniquius iudicem de homine, tamen in tanta reliquarum membranarum multitudine facile nos ad emendanda verba Flacci supersedere posse curis eius omni pignore ausim affirmare. Neque enim quinto sextove saeculo eas quibus nunc sunt deformata traxere labes nisi admodum paucas Horatii scripta sed proximis post ipsum annis LX.

Erat ubi confugiendum videretur ad grammaticorum sive scholiastarum testimonia.

Iam Horatii libris sive explicandis sive emendandis cum a renatis inde litteris operam navarint plurimi, saeculi potissimum sexti decimi doctorum ut puta Fabricii, Lambini, Cruquii, Torrentii, Pulmanni aliorum industria congesta sunt quibus postea quasi publica et communi materia uterentur litterati, quicumque circa Flacci carmina haerent. Horum plerosque ut doctrina ita ingenio longe antecessit Bentleius, cuius tamen inventa statim post obitum eius ommissa per ignaviam nostro demum saeculo quo par erat honore haberi coepta sunt. Proxima huius sunt Petri Peerlcampii et Augusti Meinekii merita, ut tamen illius detegendo errori quam inveniundo vero ingenium fuerit aptius.

Observavi autem potissimum exemplar viri summi ac maxime venerandi Augusti Meinekii, ut tamen libertatem iudicii quam saepe alias probavimus ne

hac quidem occasione omitteremus. Ceterum quod haud sane raro refellendi cum huius tum Bentleii vel Peerlkampii opiniones subituri sumus periculum, nequis livore aut iactando ingenio factum esse existimet parum veremur. Hi enim sunt viri quorum ex erroribus plerumque vix minus discas quam ex eis quae recte observarunt. Et saepe eorum dum contemtor ingenia venit in mentem quod de uno ex isdem dicere solebat Hemsterhusius, movere eum multa non movenda, sed plerisque locis veteres scriptores, si ita scripsissent, ut ille legendum decrevit, melius fuisse facturos.

Ceterum pro rationibus huius editionis ex coniecturis doctorum non nisi eas recipiendas putavi quae dubitationi fere essent exemptae. — Et cum multos hoc tempore temeritate et imprudentia praecipitatos minus feliciter viderem versari in crisi Horatiana, eo magis sobrietati ac modestiae studere induxi in animum. Hinc factum ut de nostris inventis paucissima ipsis Flacci libris insereremus; quaedam, quamvis etiam sine rubore admitti posse viderentur, in notis commendasse contenti. — Praeterea verecundiane dicam victus an superstitione aliquot locis priorum criticorum coniecturas cum certas ducerem et carentes dubitatione, tamen ne nimio novandi studio nos abripi quererentur nonnulli, in hac praefatione potius quam in ipsis carminibus repraesentavimus: quas tamen in maiore editione loco quo par erat recipiemus.

Sed hercule qua severitate in nostris conatibus taxandis usi sumus, eandem etiam in aliorum adhiberi par erat. Neque est cur hoc loco repetam nihil nobis magis esse invisum eorum temeritate, qui non satis ampla poetarum latinorum peritia instructi et urentes secantesque quae ne intellegant ipsorum culpa prohibentur artem criticam, qua quidem, si recte adhibeatur, nihil extat sublimius vel divinius, in ludibria vertunt et praestigias.

Quorum nomina cum vulgo sint nota hoc loco memorare non attinet.

Et de interpolatione carminum Horatianorum quid statuam cum plene declararim et olim opusculo quod legitur insertum annalibus philologicis a. MDCCCLXIII [p. 176—184] et nuper libro quo classicorum apud Nederlandos studiorum fata sum persecutus [pg. 113 sqq.], viderint quibus cordi erit sententiam nostram locis modo indicatis. — Hinc pro fide quasdam strophas discernendas a reliquis et uncis includendas censuimus nec tamen multas et quarum maximam partem iam Meinekius suspectasset. Et ut dicam quod sentio quo magis in arte proficio, eo difficilior mihi videtur quaestio de interpolationibus Horatianis. Itaque omnem temeritatem ab ea segregandam existimavi. Ceterum quod omnes probabilitatis numeros implet proximis post Flaccum annis LX irrepsisse quidquid in libris eius latet versuum spuriorum, etiam metricis rationibus comprobatur. Nam c. II, 20, 11 quod legitur 'superne' correpta finali, agnosces Lucretii, qui item breviavit, imitationem, quam proximo cuique Augusti aequalibus tempore libens adsignabis. Praeterea in versu aequae suppositio Asclepiadeo [I, 6, 14]

digne scripserit aut pulvere Troico,

notandum dactylicum vocabulum huius metri in pede altero haud ita raro quidem apud Flaccum sed nunquam reperiri apud Senecam. Congrua autem est ea observantia rationibus saeculi p. Chr. n. primi metricis, quippe quod Catulli et Horatii numeros eadem artis subtilitate excoluerit quam hexametris pentametrisque primus adhibuit Naso. Nec vero est cur labes quas traxit c. 8. l. IIII longo post Horatium intervallo inditas ei putemus. Nam strophicam melicorum eius artem iam Claudii ac Neronis aetate prorsus ex peritia hominum evanuisse olim comprobavi [d. r. m. 118].

Sed enim iam singula persequamur:

Ac primum quidem inscriptiones carminum cur omiserim Meinekio obsecutus et aliis vix est quod disseram. Tamen illud sat constat eas magna ex parte non per medium aevum sed ultimis imperii Romani saeculis esse ortas nec a librariis sed a grammaticis adiectas. Ceterum qualemcumque ducentes originem relicturus fui, si ullo facerent modo ad lectionem iuvandam. Nunc aliter res habet, cum scholastici illi primos potissimum versus fingendis titulis adhibuerint, ut tamen, si ex illis nulla posset elici sententia breviter explicanda, media etiam et summa respicerent. Fefellit ea res aliquando Bentleium e. c. tum cum in Phaedri v, 6 pro vulgata 'calvus et quidam pilis defectus' posuit 'duo calvi'. Scribendum erat, quod in nostra visitur editione c. et q. *aeque* pilis defectus. Nec rectius idem v, 8 dedit hunc titulum 'occasio depicta' pro eo qui fertur recte in libris 'tempus'. Sumpsit qui inposuit ex v. 7. Apparet autem tempus hoc loco esse, quod saepe, *καίρῳ*.

Praeterea notandus mirus quidam amor et pravus homuncionum illorum, quo impulsus studerent poetas facere personam sive rem quamcumque adloquentes. Ita e. gr. c. III, 4 habent codd. plerique ineptam inscriptionem ad urbem Romam sive Romanam, ductam ex illo [v. 37] 'quid debeas, o Roma, Neronibus'. Quid quod II, 18 legitur in libris multis tituli instar 'ad aurum'?

C. I—VIII. Nota Flaccum in primis novem huius libri poematis diversis ubique usum esse numeris, nimirum ut statim illa *πολυμετρία* lectorum animos melico carmini adsuefaceret et conciliaret. Nova autem et aliena ab his quae in limine operis posuit metra adhibuit quattuor, non plura, et quidem carminibus VI. At in epodis contrario plane modulo delectatus opuscula variis generibus versuum constantia in ultimum redegit volumen idem.

I, 1, 6 *evēhit ad deos*. Minus bene, euphoniae legem si attendas, habet illud quod scripsit de con-

iectura Bentleius evehere, ut alibi idem [III, 24, 44] deserere pro deserit, quae displicent quadruplicata e littera. Legitur quidem infra similiter [I, 6, 12] culpa deterere ingeni, nec tamen talia temere inferenda poetis. Cf. d. r. m. 451.

I, 2, 9—12. Hanc stropham ut Ovidii magis, unde ex parte ducta est [met. I, 296] quam Horatii similem damnavi ut Meinekius Peerlecampius alii.

Ib. 21 sq. *audiet cives acuisse ferrum quo graves Persae melius perirent*. Etsi pleraque in hoc carmine iniuste, utque facile possit refelli, suspectavit Peerlecampius, non tamen poterit negari male se habere illud 'cives acuisse ferrum', cum id ipsum desideretur, in quo summa sententiae vertitur, puta 'contra cives'. Quod cum ita sit, non reticebo mihi pridem visum esse oportere scribi, quod altius introsipientibus apparebit facile potuisse perverti a scribis septimi sive octavi saeculi 'audiet cives *cecidisse ferro*'. Nam et saepe poetae cadendi pereundique vocabulis promiscue usi sunt, velut ipse Flaccus in libro de arte poetica [68 sqq.]

mortalia facta peribunt,

nedum sermonum stet honos et gratia vivax.
multa renascentur quae iam *cecidere cadentque*
quae nunc sunt in honore vocabula;

et Ovidius I transformationum [240 sq.]:

occidit una domus, sed non domus una perire
digna fuit.

Ib. 39, 40 *acer et Mauri peditis cruentum voltus in hostem*. Mauros cum equitatu potius quam peditatu excelluisse omni tempore sat constet, nonnulli ad explicandam quae vulgo optinet apud Flaccum lectionem dixere videri ei in versibus hisce adornandis obversatam esse picturam quandam. Ego tamen quo fieri modo possit ut in loco communi non notam lectoribus plerisque et obviam sed inauditam plane nec coniectando adsequendam rem tangat poeta non intellego. Et ut dicam quod sentio non ullum antiquitatis auctorem nobiliorem inseruisse puto libris quae

nonnisi picturarum vel statuarum peritis in auxilium adhibitis possent intellegi, minime autem omnium homines Romanos. Quid enim? Nonne testatur Tacitus [dial. de or. 10] populares suos picturas et statuas cum semel vidissent transire et esse contentos? Hosne ergo tam acriter curasse putas res istas, ut obscurarent libros inserendo quae nemo nisi eidem urbi atque adeo isdem pinacothecis sive templis ac porticibus innutritus posset intellegere? — Quantum ad Flacci verba, omnino reponendum cum Bentleio et Fabro illud 'Marsi'.

Ib. 41 *sive mutata iuvenem figura ales in terris imitatis almae filius Maiiae*. Expressit haec Calpurnius, quem aequalem fuisse Neroni existimat Hauptius ita [III, 142 sq.]

tu quoque mutata seu Iuppiter ipse figura
Caesar ades etc.

Omnino totus locus conferendus.

Ceterum valde est optandum existere aliquando, qui colligat exempla imitationis Horatianae quotquot reperiuntur apud poetas, non quod putem fore ut ex tali opere commodi quicquam ad verba Flacci emendanda redundet, sed ut tandem aperte appareat quo usu ille quaque popularitate apud Romanos vigerit. Eum saepe a satiricis expressum imitatione sat constat, praeterea ab Ovidio aequali, tum a Seneca, ipsa numerorum similitudine id conciliante, nec non ab Ausonio poeta scholastico. Aliquanto rarius ceteri eundem sunt secuti, frequentius tamen quam creditur vulgo.

1, 3, 18 *qui siccis oculis*. Suspectavit illud 'siccis' Bentleius, sed bene adseruit Peerlcampius.

1, 4, 16. Non credo recte corruptelae signum adposuisse Meinekium his quae sunt fabulaeque Manes. Neque enim video quo iure inepte dici credantur manes sermonibus hominum plurimum celebrati ut apud eundem Horatium extat 'fabula quanta fui' et similia alibi. Quod notarunt viri docti hunc locum observatum esse Persio cum scriberet [v, 152] 'cinis et manes

et fabula fies', recte quidem potest habere. Oportuit tamen addi inveniri etiam in clausula hexametri epistularum Flacci [1, 13, 9] illud 'et fabula fias'. Unde non abhorret a probabilitate ex hoc loco sensu vocabuli quod est fabula leniter inmutato sumpsisse Persium verba quae sunt 'et fabula fies' nec respexisse illum, unde sum orsus. Omnino quaerendum accuratius quatenus satirici primi p. Chr. n. saeculi videantur quaedam adsumpsisse ex melicis Horatii libris, cuius imitationis rarissima certe nec extra Persii puto libros sita exempla inveniuntur. Persius autem quod alieno genere carminum expressit quae non decebat aetate nondum adulta nec satis firmato iudicio facile excusatur.

Ib. 17 *et domus exilis Plutonia*. Male haec suspectavit Peerlcampius, cui pro illo 'exilis' potius 'exilium' videbatur venisse ab Horatio. Videndum ultimae eiusdemque principis Propertii elegiarum initium.

1, 6, 13—16. Seclusi obsecutus Meinekio.

1, 7, 1. Hanc oden in binas discerpere librarii quidam et grammatici; sed id quod verum est tuentur cum Porphyrione Pseudoatilius [p. 358 G.] Victorinus [228, 29 G.] Diomedes [pg. 520 K.] anonymus de metris Horatianis [gr. lat. III, 470].

Ib. 16. Recepti et hoc loco et aliis nonnullis, ubi per codd. saec. x quamquam numero pauciores liceret, illud 'nec'. Tantum enim abest ut adsentiendum putem Meinekio qui interdum velut c. II, 9, 4. 15 refragantibus omnino membranis admisit formam longiorem, ut potius eam a melicis et iambicis, modo liceat per metrum, removendam esse censeam. Sed de hac re plenius alibi. Interim videnda quae notavi d. r. m. 395 sqq.

Ib. 27 *nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro*. Rescribendum existimavit Bentleius 'auspice Phoebus'. Mihi sat bene retineri videtur posse vulgata, eodem si sensu accipimus illud auspex quo Horatius semet ipsum dixit auspitem III, 27, 8.

1, 9, 7. 8 *deprome quadrimum Sabina o Thaliarche*

merum diota. Isidorus etym. xvi, 26, 13 'amphora vocatur quod hinc et inde levetur. haec graece a figura sui diota dicitur, quod eius ansae geminatae videantur aures imitari'. Ita enim pro eo quod vulgo fertur 'diota dicitur' scribendum esse vidit Zangemeisterus [mus. phil. xxiii, 383], qui alias non nisi in glossario Philoxeni inveniri diotam monet lib. de Hor. voc. singul. pg. 7.

Ib. 9—12. Minus recte hos versus suspectatos esse censeo a Meinekio, qui ταυτολογίαν eis exprobrat intolerabilem. Apte vero faciunt ad deorum potentiam plene declarandam, cum acriore vocis intentione proferri oporteat illud 'qui,' ut sensus sit verborum hic 'dei cum iubent componi tempestates, ne vestigium quidem pristini tumultus in mundo remanet'. Ceterum monuit me Vsenerus non sine recordatione loci huius scripta apud Statium ferri haec [Theb. i, 479, 70] 'ventis ut decertata residunt aequora'.

i, 10. Videnda quae nuper disseruit Otto Iahnus Hermae iii pg. 187.

i, 12. Hoc carmine quasi per dialogum Horatium egisse cum Clio, ita ut mortali xii priores versus, Musae reliqui cederent, statuit Iacobus Bernaysius, sed perperam et sine exemplo. De qua re alibi.

Ib. 1. 2. 3 *quem virum aut heroa lyra vel acri tibia sumis celebrare, Clio? quem deum?* Debet mirum videri cur Flaccus neglecto Pindari exemplo et posthabito naturali quemque ipse statim observavit ordine virorum prius et heroum quam deorum mentionem iniecerit. Cuius rei quae esset causa, d. r. m. pg. 279 ostendimus.

Ib. 9—12. Omnino secludendam existimavi hanc stropham iam annis abhinc xv; nam ut alia mittam ineptum est et exemplo carens dici Orphea quercus duxisse fidibus canoris postquam modo dixerat Horatius silvas, quarum et ipsae pars sunt quercus, illum canentem esse insecutas. Nempe quod saepe occurrunt apud poetas similia quae videantur minus curiosis ut illud

'quis neget arduis pronos relabi posse rivos montibus et Tiberim reverti', monendum semper tali condicione, ut res ipsa postulat, exempla, quae adduntur generi, magis scilicet vividam ac perspicuam redditura illa orationem, statim continuo ordine nec alienis interrupta subiungi. Nota autem interpolatorem observasse Vergilii illud de eodem Orptheo 'tbreicia fretus cithara fidibusque canoris'.

Ib. 13, 14 *quid prius dicam solitis parentis laudibus*. Illud 'parentis' praeter alios cdd. multos Bland. antiquiss., cum in margine prostet 'vel parentum', quam tuentur lectionem reliqui libri eiusdem originis; frustra autem fuit siquid sentio Peerlcampius, qui illud parentum ab inepto interpolatore profectum et indignum elegantia Flacci eodem fere sensu, quo reliqui parentis, accipi posse sibi persuasit. — Mox v. 21 id quod est proeliis audax ad Minervam non ad Bacchum pertinere perspexit Bentleius, quem secuti sunt praestantissimus quisque editorum et nuper Iahnus Hermae iii, 182. Idem putat illud 'Liber et' corruptum esse, ut sit substituendum rarius quoddam quod interpolatione sit haustum Dianae nomen.

Ib. 31, 32 *et minax cum sic voluere ponto unda recumbit*. Verum puto haud dubie quod placuit Heinsio et Bentleio 'sic di voluere'. Nam quod vulgo optinet 'cum sic voluere' inepte ταυτολογεί; et excidisse voculam in antiquissimis exemplaribus Flacci, sicut alibi nonnumquam in isdem, rimanti lectionis varietates, quas videre est apud Kellerum, facile apparet.

Ib. 37—44. Omnino accedendum existimavi Hauptio qui delendos hos asserit versus [vide Dyckhoffii libellum academicum de Hor. loc. susp. pg. 13 sqq.], quos quidem alienos a proposito carminis et ratione quam in viris Romanis celebrandis secutus est Flaccus subtilius inquirenti lucide adparebit. Vnde in vv. 35, 36 facile carebimus coniecturis doctorum, e quibus duas memorandas existimavi, Bentlei 'anne Curti', Hama-

cheri 'an catenis nobilitatum', ingeniosam utramque, sed hanc a metro minus commendatam.

Ib. 43 *arto* B. M. apto v.

Ib. 47 *Marcellis* Peerlc. M. Marcelli v.

I, 14. Hoc carmen quod inter antiquissima Flacci lyrica referendum videtur, simili modo quo in sequente eum Bacchylidis quaedam in proprios usus convertisse existimat Iahnus, abbreviasse de maiori opere Alcaei existimo, ut ex particula quadam eius integrum conficeret. Nam hunc et ipsum rempublicam navi adaequasse sat constat [cf. frg. 18. 19 ap. Bergkium ed. III]; nec vero ullo adduci possum pacto ut toto eum allegoriam carmine prosecutum esse existimem. Videnda etiam quae Iahnus adnotavit ad I, 10. Ceterum opusculi huius ἀλληγορίαν proprios in usus adhibuisse Sedulium praef. ad Macedonium docui in analectis [ann. phil. a. 1866 pg. 392].

I, 15, 36. *ignis Iliacas domos*. Huic versui quid facerem diu multumque meditatus tandem reponendum esse statui quantumvis tenui librorum auctoritate firmatum illud 'Pergameas', ut existumem ex proxime praecedenti 'Ilio' inrepsisse quod iam vulgo fertur. Et similia in libris Flacci aliquotiens occurrunt vitia. Cf. C. III, 4, 9. 10. III, 5. 17. 18. Nam quod quidam putarunt sive spondei loco apud Romanos habitum id quod est ignis, sive Horatii etiam tempore sonuisse in initio vocabuli Ilion digamma, si dis placet, cuius ne in antiquissimis quidem Homericorum carminum exemplaribus vestigium aut volam reperisse Alexandrinos sat constat, non hercule sunt digni illi quibus respondeatur. Neque magis adducor ut credam basin hoc loco, quod numquam alibi vel in glyconeo metro vel in asclepiadeis quae descendunt inde admisit Horatius, tolerari posse trochaicam. Ceterum falsissimum est quod dicit Orellius putidam esse variationem verborum istam 'Ilio — Pergameas'. Numquam legerat ut puto Vergilii illa 'venit summa dies et ineluctabile fatum Dardaniae; fuimus Troes, fuit Ilium et ingens

gloria Teucrorum' et porro 'ceciditque superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia'. Ita Ovid. met. XIII, 466 sq. 'postquam alta crematast Ilios et Danaas paverunt Pergama flammis'. Seneca Tr. 19 sqq. 'diripitur ardens Troia, nec caelum patet undante fumo. nube ceu densa obsitus ater favilla squalet Iliaca dies'. Propertius III, 1, 31 sq. 'exiguo sermone fores nunc Ilium et tu Troia bis Oetaei numine capta dei'. Vbi male Schneidewinus 'Oechalia et tu'. Nec enim illud 'tu' habet quo offendare. Ita Flaccus 'nec dulces amores sperne puer neque tu choreas', et similia passim ceteri. — Sed ut redeam in viam, sicut dei atque homines, ita etiam loca bruta gaudent πολυ-
vυμιά. Denique quod Meinekius cum Peerlcampio totam stropham, in qua sunt illa 'ignis Iliacos domos' Horatio abiudicat, libenter accederem viris summis, nisi abiectis versibus ultimis videretur clausula apta desse carmini. Et hercule decebat exitium Troiae, longe gravius illud morte Paridis hominis vilissimi, non tantum uno versu breviculo ac subobscurum [8] defleri. — Ceterum in medio opusculo iustum sententiarum conexum desidero. Nam et pro historiae fide et pro simplici rationum probabilitate oportebat prius fugam Paridis secessumque et luxuriam quibus vitaret pericula describi quam, quae tandem evenere, poenas adulterii et mortem. Neque apte continuantur illa 'non Laertiaden — respicis, urgent te Teucer, te Sthenelus' e. q. s. metro priori, ubi non vivi Paridis, sed occisi facta est mentio. His facile medeare incommodis traiectis strophis quarta et quinta post octavam. Hoc si admiseris etiam illud evenit, ut ordinem persimplicem et versibus 6. 7. 8 indicatum, quo primum Troianorum labores, mox Paridis et proxime insecutum ipsius Troiae exitium enarranda proponuntur, iam retineat poeta. Et ut sic trium, ita supra [I, 3, 27] duorum versuum intervallo repetitur 'gentis' vocabulum. — Ceterum cum versibus sex qui sunt a quinto decimo inde Flaccum pleraque de Homero [II, III, 54. 55. 382]

sumpsisse sat constet, eo magis mirum quod ei in notissimis quibusdam rebus obtemperare noluit hoc carmine.

Atque haec pro fide ut fecimus exponenda censuimus. Ceterum videnda quae Iahnus de hoc carmine disseruit Hermae III, 184 sqq., qui mihi quidem plane persuasit neque allegoriam contineri illo et videri Horatium iudicio nondum satis subacto usum ex ampliore Bacchylidis poemate excerptisse proprioque instaurasse opusculo vaticinium Nerei. Addit Iahnus quod sane delectu non satis apto in memorandis Graecorum ad Ilion qui debellarunt heroibus usum esse Flaccum apparet, non abhorre a probabilitate eum personas a Bacchylide alio modo repraesentatas minus recte adhibuisse proprio carmini. Quod cum inter prima melici generis compositum esse ab auctore plerisque adsentiar, dubito aliquando an statuam eum variandi studio abreptum pro eis quae apud Bacchyliden inuenerat minus congrua substituisse nomina.

I, 16, 8 *si* B, M, al., 'sic' v.

I, 20, 5. *clare Maecenas eques*. Vulgo *care*. Illud sensu ipso cogente ex cod. regiae societatis restituit B. Atque ita in Lipsii operibus I, 786 ed. Vesal. legitur. Similiter hodieque fertur in elegia de Maecenate altera [A. L. 110, 27] 'vive diu, mi care senex. pete sidera sero'. In quibus punctum potius ante vocabulum quintum quam post ponendum alibi demonstravi. Ceterum similis varietas membranarum in illo [III, 13, 14] 'nec clari lapides', ubi recte idem Bentleius 'cari'.

22, 2. *non eget Mauri iaculis*. Pudet paene nos a disertissimis viris dissentientes quibus unice probatur illud 'Mauris' posuisse id quod tamen ipsum non poenitenda codicum auctoritate firmatur 'Mauri'. Sed quid facerem? Commendabatur hoc omnino iudice euphonia. Etenim homoeoteleuti exemplum quale erit in medio versu tale 'Mauris iaculis' perraro inuenis in melicis Flacci. Nam nequis illud 'iam satis terris' simile dicat ratione sonorum loco nostro parum vere-

mur. Legitur quidem c. III, 1, 16 'militiae tuae' non sine quadam *δυσφωνία*. Sed ut omittam ibi vocalibus certe contineri homoeoteleuton et mitigari vocabulo altero in fini versus collocato, cuius ultima syllaba ut erat communis ita minus exaudiebatur in metro, probe perspexit Meinekius Horatium potius scripsisse 'late militiae signa feret tuae', solitum quippe eo quod vides iam modo collocare in fine ordinum asclepiadei substantivum cum adiectivo. Ceterum ex eis quae dixi apparebit, cur minus probandum sit mihi quamquam rationibus paulo diversum id quod venisse putat a Flacco Meinekius in carmine de Archyta 'mixta senum iuvenum densantur funera'. Videnda etiam quae Bentleius adnotavit ad c. II, 14, 26 et ep. II, 1, 85.

Ib. 13—16. Suspectant P et M.

23, 5, 6 *vepris* — *ad ventum* B et M, nescio an recte.

Ib. 10. Imitatus est Ausonius ep. xv, 15.

25, 20. *Euro* cum Aldo B, M, al., 'Hebro' v.

26, 9 *Pimplei dulcis*. Etsi possit defendi illud 'Pimplea' collatis eis quae exhibui d. r. m. 257, tamen cum sat appareat Porphyriionem inuenisse in exemplari proprio priorem lectionem, in hac adquiescendum putavi.

I, 27, 18. *ah miser*. Exsulat ab antiquissimis scriptorum Latinorum membranarum spiritus, quem vulgo addunt interiectioni, nec agnoscunt grammatici potiores. Nihilo autem meliora sunt proh vel hei. Et haec quidem quam ultimo loco posui vocula apud Horatium numquam reperitur, reperitur, apud Vergilium, Tibullum, Propertium, Ovidium. — 'Aha' quod probavit Bentleius ep. 5, 71, si modo vox omnino erit latina (certe quae apud Priscianum [p. 548] de ea feruntur nugae esse meras apparet), dactylicorum utique libris non convenit.

Ib. 19 *laboras Charybdi* codd. multi, al. *laborabas*. Corr. Aldus.

Ib. 23 sq. *via inligatum te triformi Pegasus expedit Chimaera*. Ex hoc loco ductum quod medii aevi scriptores Chimaerae vocabulo promiscue utuntur pro scorti.

Vnde Iohannes de Gallandia [v. 482] 'est meretrix scortum Thais lupa capra Chimaera'. Praeit Valerius epistula ad Rufinum (nam ita vulgo fertur, quamquam a codice Vossiano abest omnis titulus) '*Chimaeram miser nescis esse quam petis. et scire debes quod triforme monstrum illud insignis venustetur facie leonis, olentis maculetur ventre caprae, virulentae armetur cauda viperæ*'. — Apparet imitatio Horatii, quamquam pleraque traxit Valerius ex noto Homeri versu πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα; quem quidam ita vertit Latine 'prima leo, postrema draco, media ipsa chimaera'. Idem ille 'delectatus est Vlixes symphonia Sirenum. sed quia *Sirenum voces et Circae pocula novit* [ep. 1, 2, 23], virtutis adminiculis sibi viam fecit, ut vitaret voraginem. ego autem in domino sperans confido quod Vlixis eris imitator, non Empedoclis, qui sua philosophia ne dicam melancholia victus Aetnam sibi mausoleum elegit, et parabolam quam audis advertes'. Haec omnia ex Flacco petita.

1, 28. De rationibus carminis huius quam Weiskius protulit sententiam ann. phil. xii, 359 sqq. ut Meinekius et ipsi probandam censemus.

Ib. 5 sq. *aeris temptasse domos animoque rotundum percurrisse polum*. Pro illo aerias reponi vult Meinekius aetherias. Sed vix opus. Ita enim Catullus [xlvi, 5 sq.] 'ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans dulcis amor gyro devocet aereo'. Et Maro cum campos Elysii, vulgarem secutus opinionem, largiore aethere ac purpureo lumine vestiri dixisset [Aen. vi, 640], mox tamen [ib. 886]

sic tota passim regione vagantur
aeris in campis latis.

Ceterum cum Catulli versus quos attuli petiti sint ex tralato Callimachi opere de coma Berenices, credibile est praeiisse hoc ut alia poetis Latinis Alexandrinos. Tamen apud Quintum iii, 657 scribendum existimo μέγαλοιο κατ' αἰθέρος, sicut alibi semper idem. Cf. et iii, 665. 708 ed. Tychsenianae.

Ib. 21 sq. *me quoque devexi rapidus comes Orionis Illyricis rotus obruit undis*. Omnino recipiendum erat, etsi tenui codicum auctoritate munitum, illud 'rabidus', cum non celeritatem Austri sed violentiam hoc loco tangendam fuisse sententiam altius introspicienti facile appareat. Neque curo membranas saec. viii vel x, qui sciam iam illo tempore atque etiam priore parum fuisse compertum grammaticis, inter rapidum et, quod rarius occurrebat vocabulum, rabidum quid interesset. Glossae Lugdunenses [m. b. p. 67 E pg. 50] 'rapidus velox furens', aliae [m. l. V. F. 24] 'rapidum rapacem violentum', quin eadem 'rapiunt fervescunt'.

Ib. 24 *ossibus et capiti inhumato*. Conferenda quae diximus d. r. m. pg. 311 et quae mox dicemus ad ep. 11, 24 et in libello huic praefationi adiecto.

1, 32, 15 *dulce lenimen medicumque salve. medicumque* Lachmannus, *mihī cumque* cdd.

1, 35. Hanc oden in exemplari suo adnexam sine intervallo praecedenti invenit Diomedes [pg. 521 P]. Tamen minime accedendum puto Peerlcampio, qui dicit posse aliquem suspicari eam iungendam esse priori. Immo huic si obsecuti erimus, mirum quantum ταυτολογήσει oratio, cum ultima stropha carminis xxxiiii plane eodem sensu sit quo prima subsequentis. Nec apte tribuimus Horatio ultro repetita proximo intervallo illa *sustulit — tollere*. Ac tamen necessitudine quadam artiore nexa sunt et ligata inter se haec opuscula; quippe apparet Horatium hic, sicut alibi saepe amarunt et ipse et reliqui poetae Latini, sententiam quam in fine poematis posuerat repetitam longius esse executum curis proximis. Ita, ut paucis defungar exemplis, lib. iii carminis 3 initium apertissime pendet ex prioris ultimis octo versibus, ita cum in fine illius monuisset poeta sceleratos semper timori ob flagitia admissa esse obnoxios sponte traductus est ad eum sensum quo proximam auspicatus est oden virum bonum nullis percelli terroribus. Idem cum 3, 69 sqq. dixisset graviora quam quae lyrae convenirent relata hoc car-

mine, insequenti invocat Calliopen ipsam ut longum sibi diceret melos; quis enim melius sciret Musa, quid lyrico esset aptum poemati? Eadem ode finitur describenda Iovis ac deorum contra Titanas pugna. Huc aperte respicit quintae exordium *'caelo tonantem credidimus Iovem regnare'*, praesens divus habebitur Augustus'. Denique ultimo hoc opusculo cum descripsisset praeorum Romanorum circa rempublicam et ius fasque observantiam, iam sexto qui ipsius tempore obtinebat contemptum rei divinae et luxuriam ac privato tantum commodo deditum animum apte prosequitur. Amant autem poetae carmina sententiae quodam nexu ligata etiam metro eodem continuare.

Ib. 2, 3 *praesens vel imo tollere de gradu mortale corpus*. Maro i aen. [v. 70] *'aut age diversos et disice corpora ponto'*.

Ib. 5, 6 *te pauper ambit sollicita prece ruris colonus*. Displicuit multis nec inmerito illud *'ruris colonus'*. Quam inelegantiam nescio an ita liceat amovere, ut dicamus *'ruris'* potius pendere a prece, ut alibi [Aen. II, 413] *'tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira'*.

Ib. 22 *velata † panno*. Illud panno si caret errore, dicendum erit Flaccum non satis eleganter vocem humilem novo modo usurpatam adaptasse carmini melico, ut alibi [III, 4, 65] id quod est *evenit*: *'merses profundo, pulchrior evenit'*.

I, 37, 23, 24 *nec latentes classe cita reparavit oras*. Locum nondum satis expeditum vellem obelo notassem. Ceterum quod Meinekius scribendum esse coniecit *'sollicitare paravit oras'*, cum sententiae optime conveniat, metro tamen minus aptum est. Nam similem numeris illius alcaicum decasyllabum apud Horatium frustra quaesiveris.

I, 38, 6 Retinui librorum scripturam *'sedulus curo'*. Videnda Meinekii praef. pg. 11 et Lachmanni comm. Lucr. 362.

C. II, 1, 36 *quae caret ora cruore nostro?* displicet rhotacismus.

II, 2, 17 *redditum Cyri solio Phraaten*. Omnino iudice euphonia erat recipiendum et hic et ep. I, 12, 27 Phrahates; quam potissimi quique codices tuentur formam. Atque ita priore loco Kellerus.

Ib. 23, 24 *quisquis ingentes oculo inretorto spectat acervos*. Tibullus lib. I [1, 77] *'ego composito securus acervo'*. Similiter etiam Lucanus lib. V [752, 53] *'invenere quidem spoliato plurima mundo bellorum in sumptus congestae pondera massae'*. Quamquam fatendum ibi quinque versibus ante et duobus post occurrere auri vocabulum. *'Quisquis'* sicut hoc loco, etiam alias [III, 24, 25] adhibuit Flaccus *'o quisquis volet inpias'*, ubi male Bentleius *'quis quis'*.

II, 6, 5 sqq. *Tibur Argeo positum colono sit meae sedes utinam senectae, sit modus lasso maris et viarum militiaeque*. *'Sit domus'* Peerlcampius et Meinekius. Sed languet illud *'domus'* propter ταυτολογίαν. Ferrem sine offensione ut puta tale *'sit sedes et domus'*, ut saepe similia alibi. At displicet mirificum in modum idem addita ἐπιναφορά, nec puto tolerandum in carmine praesertim melico. Firmari autem vulgatam versu Avieni [descr. orb. 100] *'hic modus est orbis Gaddir'* pridem docui [d. r. m. 157]. Et ipse Horatius infra *'nulla certior tamen rapacis Orci fine destinata aula divitem manet'*.

II, 6, 18 *et amicus Aulon fertili Baccho*. Omnino recipiendam existimavi N. Heinsii coniecturam *'amictus'*: Bacchus enim hic pro vite dictus ut saepe; fertilis autem vitis ut alibi *'Sardiniae segetes feraces'*. Ita apud Florum I, 11 ed. I. cum libro Nazariano, qui proximus bonitate est Bambergensi, legendum existimo *'hic amicti vitibus montes, non amici'*, id quod placuit Kellero, qui attulit hunc locum. Contra illud quod reponendum esse statuerunt Bentleius et Meinekius *'apricus Aulon, fertilis Baccho'* propter geminati epitheti inelegantiam mihi quidem non probatur.

II, 8, 2 *Barine*, *'Carine'* M. Videnda tamen quae dixit de nomine illo Vsenerus mus. rhen. XXIII, 341.

II, 11, 23, 24 *incomptam Lacaenae more comam religata nodo*. Ita B, et probat M, qui affert Propertii illud de Lacaenis [III, 14, 28] 'est neque odoratae cura molesta comae'. Atta in epigrammatis [Non. pg. 202] 'praeterea tum sit ('tu sis' edd.) resoluta crine capillus'. Cdd. habent 'nodum' et exceptis paucis 'incomptum'; praeterea multi 'comas'.

II, 12, 22 *aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes*. Mirum genus dicendi nec tamen prorsus exemplis destitutum. Ita Homerus II, II, 54 *Νεστορέη παρά νηϊ Πυλοιγενέος βασιλῆος*; Od. XI, 634 [cf. et II, V, 741] *μή μοι Γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου*; Lucr. I, 474 *ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens*; Cat. LXIII, 75 *attigit iniusti regis Gortynia tecta*.

II, 13, 15, 16. *Poenus* edd., *idem timet*. Corr. Lachmannus.

II, 15. Hoc carmen in antiquissimo librorum Bernensium nec minus in Turicensi codice continuatur praecedenti; nec separatim legit Diomedes [pg. 523 P.].

II, 16, 26 *et amara lento temperet risu*. Suspectavit Bentleius qui pro *lento* substituit *illud leni*. Sed recte defendit vulgatam Zangemeisterus [M. Rh. XVIII, 332 sq.] adlato Ciceronis de oratore loco [II, 6, 279] '*huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac leni*'.

II, 17, 21 sq. *utrumque nostrum incredibili modo consentit astrum*. Ita lib. III 'ego apis Matinae more modoque'. Nec tamen laudari.

II, 18, 20. Ep. I, 1, 83. Omnino reponendum codd. multorum auctoritate munitum illud 'Bais', ut alibi Grai, Grai. Cf. d. r. m. 249 sqq.

Ib. 30 *rapacis Orci sine destinata*. Pro illo 'sine' quod legitur et apud Servium et in deterioribus libris Flacci 'sede', videtur id ab eis profectum quibus displiceret finis genere feminino. Ceterum videnda quae notamus ad II, 6, 5.

Ib. 34 *regumque pueris nec satelles Orci*. Hunc

versum saepe contemplatus aliter ab Horatio profectum esse intellexi. Quippe non minus alienum est ab arte Flacci solvi arsin quam anapaestum vel dactylum admitti in metris iambicis vel trochaicis praeter senarium iambicum. Legitur quidem ep. 15, 23 sq. 'eheu translato alio maerebis amores, ast ego vicissim risero'. Sed haec licentia, ut omittam in primo pede admitti eam, excusatur ideo quod plane formulae vicem optinet illud 'ast ego'. Praeterea habes ep. 2, 61 sq. 'has inter epulas ut iuvat pastas oves videre properantes domum'. Sed ibi per onomatopoeian soluto contra morem pede dimetri depingitur apte gregum ad nota stabula revertentium trepidatio. Itaque ne hoc quidem exemplum ad rem facit. Quare omnino scribendum pronuntiandumve 'puro', sicuti dixit Lucretius noto versu [III, 1026] 'puri saepe lacum propter se ac dolia curta' etc. Nam quod dicit Lachmannus non intellegere se cur hoc loco 'puri' dictum existiment interpretes quasi pueri, ego multo minus capio quomodo sententiae sit aptum illud vocabulum, si significet, quod placuit ipsi, mundos. Immo quid sibi vellet Lucretius ipse apposite declaravit addendo statim mentionem eorum qui in fine pueritiae positi ad pubescentem aetatem pervenissent ad hunc modum:

*tum quibus aetatis freta primitus insinuatur
semen, ubi ipsa dies membris matura creavit.*

Quae satis aperte demonstrant praecessisse mentionem puerorum. Atque ita dissidente frustra codice Vossiano dixit Ausonius [prof. Burd. 10, 17] 'credita purities'. Cf. d. r. m. 255, 56. Huc etiam faciunt illa puer puella, coacta apud scaenicos, de quibus dixit Ritschelius in proll. ad Trin. pg. 164. Nequis autem obiciat synizesim talem a lyrici carminis elegantia alienam, monemus Flaccum eodem carminum genere adhibuisse disyllabum Pompei, cuius licentiae praeter eiusdem in epistulis illud 'Vulpei' nullum extat exemplum gemellum apud dactylicos. Ceterum etiam in versu comici nescio cuius apud Ciceronem Tusc. disp. I, 39, 94

scribendum pronuntiandumve 'modo puros, modo adulescentes in cursu a tergo insequens'.

II, 20, 9—12, quod praeierant P et M, seclusi.

Ib. 13 iam *Daedaleo ocior* (vel *notior*) *Icaro*. Ita edd., corr. B. Cf. d. r. m. 307.

C. III, 1, 1—4. Hos versus separandos a reliquis censet Meinekius quasi non primi tantum carminis sed etiam proximorum quinque prooemium. Equidem tamen ut divellam eos ab insequentibus, adduci non possum, cum prooemia talia epico potius carmini quam melico convenire existimem, quamquam ne illi quidem adhibuere Romani. Neque versus tam paucos per se stare posse extra epigrammata vel scolia crediderim. — Ceterum nec illo artificio usus est Horatius quod Catullus in iambis et hendecasyllabis aliquando adhibuit [XVI. XXXVI. LVII. LII], ad augendam vim orationis ut repeteret primum versum loco ultimo.

III, 2, 17 *virtus repulsae nescia sordidae* etc. Hoc loco potius bellicae virtutis id est fortitudinis quam eius quae circa togata reipublicae officia versatur laudes praedicari expectaris. Sed enim poeta usus ambiguitate notionis ea subicit quae videmus. Similiter in c. XVI lib. II cum otii vocabulum ad vacationem laborum ac munerum exprimendam per sex versus adhibuisset statim eo sensu usurpat, ut animus cura et libidine carens eo significetur. Ceterum quae sequuntur '*est et fideli tuta silentio merces*' rel. levissimo ac vix ullo cum praecedentibus vinculo cohaerere facile apparet. Nec tamen de lacuna cogitarim, cum sententiarum nexus in carminibus Horatii praeter erotica et symposiaca aliquando tenues nec solvi metuentes esse sat constet. Hinc est quod dicit Quintilianus nolle se in quibusdam interpretari Horatium.

III, 3. Hoc carmen Meinekius cum aliis multis continuavit praecedenti, non recte, siquid video. Neque enim media aut ultima huius poematis ullo modo faciunt ad ea de quibus in priore egerat poeta; ut omittam indecoram prorsus et exemplo carentem am-

plitudinem evadere odarum ita iunctarum. Nam sunt versus non minus CIII, cum alibi non supra LXXX vel si altius introspicias LXXVI continuet melica Flaccus. Ceterum videnda quae notavimus ad I, 35. Neque librorum auctoritatem qua nituntur Lachmannus et Meinekius magni facio. Etenim, ut Blandinii vetustissimi et noni saeculi testimonia mittam, Porphyrio, homo vanissimus, quod testatur hanc odennon esse aliam quam superiorem — quid aliud, amabo, significat nisi invenisse se ipsum in codicibus quibusdam carmen diremptum a praecedente? Praeterea grammaticus quidam — falso Servii nomine circumfertur — cuius libellum de metris Horatianis primus edidit Keilius [gr. lat. III, 468 sqq.] diserte testatur [pg. 470] ab illis 'iustum et tenacem' novam ordiri oden. — Quid quod Marius Victorinus qui illud '*miserarumst neque amori*' duodecimum vocat carmen [pg. 234 G.] apparet et ipsum dirempta legisse secundum et tertium. Nec tamen librorum auctoritate, quae minima solet esse in his minutiis, sed rationibus quas supra exposui permoti discessimus a Lachmanni et Meinekii placitis. Nam grammaticorum quam nulla fuerit dirimendis recte iungendisve carminibus diligentia ac prudentia apparet vel ea re quod Diomedes prima sex libri tertii poemata minus diligenter distincta cum invenisset in codice suo unius instar esse existimavit.

III, 3, 11. 12 *quos inter Augustus recumbens purpureo bibit ore nectar*. Male Bentleius cum plerisque doctorum praefert quod in aliis codd. prostat '*bibit*', quia iam vivus nimirum Augustus deorum numero sit habitus. Et de hac quidem re sat constat. Absurda tamen nec ullo aequali Augusti nedum Horatio digna erit adulatio dicentis Caesarem quotidie in oculis hominum versantem et cui *praesenti* sine exemplo honores divinos sacros esse ipse refert poeta [ep. II, 1, 15] ascendere solere caelum et inter deos recubare. Horum nempe convivae non prius esse licebat

quam receptus esset in caelum ab ipsis caelitibus. Vnde mox Iuno de Quirino adveniente 'illum ego lucidas inire sedes, ducere nectaris sucos patiar'. Ille igitur honor conveniebat Augusto divo, sed non vivo. Vnde ipse Horatius alibi de eodem 'serus in caelum redeas' et secutus eum Lucanus de Nerone 'te cum statione peracta astra petes serus, praelati regia caeli accipiet gaudente polo'.

III, 3, 23 *damnatam* B, *damnatum* libri. Ceterum cur semper Horatium Ilium feminino quo apud Homerum effertur genere dixisse existimarem nulla omnino erat causa. Ita et Nasoni modo Ilios, modo Ilium probatur, de qua re alibi. Praeterea videnda quae dicturus sum ad III, 7, 15.

III, 4, 69—72. Seclusi ut Buttmannus et Meinekius.

Ib. 78 *reliquit ales*. 'Relinquit' Porphyrio cum codd. sat multis, quod et ipsum poterit placere, modo perfecti esse statuamus.

III, 5, 37 *hic unde vitam sumeret anxius*. *Anxius* Kreusslerus, Lachmannus, 'aptius' libri multi, alii cum scholiastis, id quod interpolatione ortum facile apparet, 'inseius'. At Bentleius 'timuitque mortem hinc, unde vitam sumeret aptius; pacem et duello miscuit'.

III, 6, 21 *motus doceri gaudet Ionicos matura virgo et fingitur artibus iam nunc et incestos amores de tenera meditatur ungui*. Ineptum esse illud 'matura' nemo iam ut puto negabit post Peerlkampium, cum adiectis quae sunt 'iam nunc' et 'de tenero ungui' significetur apertissime aetas nondum matura. Vnde haud cunctanter scripsi 'acerba', quod ut sensui optime satisfacit ita ne a litteris quidem nimis distat. Videtur fuisse antiquitus exaratum ^uacera, quod cum non recte caperent librarii, repetita ex initio proxime praecedentis versus littera initiali parvum errorem ingenti auxere peccato. Varro apud Nonium s. v. acerbum [pg. 247] — sed hercule exemplis non indiget con-

iectura nostra — 'maiores nostri virginis acerbae auris Veneriis (vulgo Veneris) vocabulis imbui noluerunt'.

Ib. 25. Cave credas illo quod est 'mox' significari adulteria statim post initum matrimonium commissa. Id enim si statueris, qua causa addiderit poeta 'iuniores' non apparet. Sed hoc sibi volt, quando maritus senescere incipiat, mulierem habili adhuc inventa et permittente quidem viro quaestum corpore facere simul libidinem et avaritiam expleturam. Constat autem adverbium 'mox' haud raro de longiore temporis spatio interiecto adhiberi. — Ceterum quod legitur 30 illud marito, cum praecesserit v. 26 mariti, fatendum Horatium ut plerosque poetarum veterum a repetendis breviculo intervallo vocabulis non ita anxie abstinuisse.

III, 7, 15 *casto Bellerophonti*. Horatium Bellerophontae vocabulum modo primae modo tertiae aptasse declinationi, haud facile permoveor ut statuam. Longe aliter habet res in vocabulis quae sunt Argos et Ilios. E quibus alterum semel [c. I, 7, 9], alterum ter [c. III, 3, 23. III, 9, 18. ep. 14, 14], secundum Homeri usum, reliquis locis aliter inflexit. Quid enim mirum eum in nominibus usitatissimis sermoni Latino, bis terve cum Homeri auctoritati esset obsecutus, alibi vulgo usurpatas potius retinuisse formas. Simile vero non cadit in Bellerophontae vocabulum, longe rarissimum: nam praeter Horatium e dactylicis scriptores paucissimos uti eo memini. Et Homericam quidem formam uno loco [III, 12, 3] certam nec obnoxiam dubitationi reperiri apud Flaccum sat constat. In versu de quo exiit disputatio et Bernensium librorum vetustissimus et praestantissimi Parisinorum cum aliis nonnullis habent Bellerophontē sive quod idem valet (nam Kellerus perperam dativum tertiae, Lucilio quam Horatio digniorem existimavit esse) Bellerophonte. Hinc haud dubitanter restitui oportuit, quod non receptum esse doleo, Bellerophontae. Restat v. 28 c. XI l. III 'Bellerophontem', ubi nulla equidem adnotatur varietas

lectionis. Sed quis dubitabit virgulam supra vocalem positam pro libidine ubi expedit interpretari litteram? aut quis ignorat quam saepe librarii scripserint Atridem Pelidem pro Atriden Peliden? Vt omittam illud 'Bellerophonten' vel ea re commendari quod Horatius in melicis omnino Graecas flexiones substantivorum potiores longe habet Latinis? Quantum ad Bellerophontae vocabulum, primae id declinationi adaptatasse iam vetustissimos Romanorum auctoritate ductos ut saepe Homerici carminis et Melerpanta forma declaratur et eo quod Ritschellius librorum secutus vestigia Plauto restituit [Bacch. 810] Bellerophontam. Atque ita apud Ausonium, qui plurimum adhaeret Horatii exemplo, etiam legitur [ep. 25, 70] Bellerophontes, non quidem sine recordatione Homeri. Ceterum videnda quae nuper de hoc vocabulo dixit Fleckeisenus [ann. phil. 1866 pg. 8].

III, 9, 9 *me nunc Thressa Chloe regit.* — Illud quod est Thressa sicut Threcium Threcam Threcem semper per ae efferendum esse adstruit Fleckeisenus: sed non persuadet. Nam quod parum probabile videri ait vir summus has formas ex Ionum dialecto translatas, firmatur tamen origo illa vocabulis quae sunt Threicius et Threissa. E quibus hoc Maro, illo plurimi usi poetarum. Quin ex antiqua lectione Homeri accessisse puto Latinae linguae Threcam et quae inde descendunt. Haec igitur membranarum testimonio ubi firmarentur movenda non duxi. Ceterum non in scite sed ex more Flacci Peerlecampius 'me nunc Thr. r. Chl.' Ita alibi 'tempesta petit Rhode' 'ventorumque regat pater' 'culpam poena premit comes'. Amat omnino poeta in hoc metro verba iambica loco poni paenultimo, nisi quando euphoniae lege vetatur ut III, 7, 16.

III, 10, 8 *puro numine Iuppiter.* Vere omnino Bentleius, nisi fallor, reposuit illud 'duro'; nam quomodo puro numini hic possit esse locus, cum praesertim appareat versu ultimo παρακλαυσίθυρον hoc decanta-

tum esse imbrum violentia furente, equidem non intellego. Haesit autem vitium illud ex scriptura quadrata ut infra [26, 1] puellis pro duellis.

III, 11, 11 *nuptiarum expers;* nota nuptias dici pro re venerea. Similiter Naso Am. II, 7, 21 'quis — famulae conubia liber inire — velit'. Ita statim maritus pro amatore, et supra [II, 5, 15] 'iam proterva fronte petet Lalage maritum'. Eodem sensu et coniux passim apud eroticos invenitur.

III, 11, 17—20. Hos versus si scripsisset Horatius, indigni erant hercule libri eius in quibus recensendis Bentleius et Meinekius et praestantissimus quisque criticorum locarent operam. Sed enim non scripsit. Notandum autem illum extra saturas non magis quam Tibullum, Propertium, Ovidium alios multos uti adiectivo quod est taeter. Male quidam apud Tibullum 'dextera nec cuiquam taetra venena dedit' et apud Propertium 'quae solet ingrato dicere taetra loco'. Nec apte Bentleius in saturis [I, 5, 7] 'hic ego propter aquam quod erat teterrima ventri indico bellum'. — Notandum autem adiectivum illud maxime reperiri apud vetustiores poetas cum Catullo et mox apud similes horum Christianos. Vnde non mirum ideam prestare apud eos qui fucata antiquitatis specie carmina sua identidem distinguere amant, puta Vergilium et Senecam.

III, 12. Accedendum plane existimavi Lachmanni sententiae [Zeitschr. f. Alterthumsw. 1845. 61. 62], qui Flaccum non in hoc minus carmine quam in reliquis systemate quaternorum versuum denis quidem ionicis a minori constantium usum esse declaravit; et summam quidem rei olim perspexit Bentleius. De qua iam neminem dubitaturum confido, postquam demonstravi [d. r. metr. 116] etiam Laevium usum esse systemate ionicorum a maiori denorum et novenorum invicem se excipientium:

Vénus amoris áltrix genetríx cupiditátis mihi quæe
diem serénum hilarula præpandere crésti opseculæ tuæ
ac ministræ,

Étsi ne utiquám quid foret éxpavida gravis dura
fera ásperaque famúltas potuí dominio ego áccipere su-
pérbo.

Et Flaccus quidem κατὰ συνάφειαν, Laevius áσυναρ-
τήτως adhibuit versus, uterque ex natura proprii me-
tri. Ceterum lineolis iniectis significavi post quartum
quemque ionicum, item octavum videri factam inci-
sionem, etsi fatendum similem apud Laevium non
reperiri.

III, 13, 15. 16 *unde loquaces Lymphae desiliunt
 tuae*. Eleganter poeta labdacismo usus et hic loci et
alibi in verbis similibus [ep. 16, 48] '*levis crepante
lympa desilit pede*'.

III, 14, 10, 11 *vos o pueri et puellae iam virum ex-
pertae male inominatis parcite verbis*. Libri '*nominatis*'
vel '*ominatis*'; corr. B. Cf. d. r. m. 306.

Ib. 22 *cohibere* codd., '*cohibente*' Muretus, B, M.
III, 15, 11 *illam cogit amor Nothi*. Suspectat Nothi
nomen Meinekius, sed satis ut puto firmat C. Keilius
M. Rh. XVIII, 617, qui aliter non inepte Poti nomen
substitui posse addit. Ceterum Nothi vocabulum etiam
latinis titulis inveniri probat Zangemeisterus de Hor.
voc. singul. pg. 6.

III, 17, 2—5. Delevi cum Buttmano et M.

III, 20, 7. 8 *tibi praeda cedat maior an illi*. Ita
codd., corr. Peerlcampius.

III, 23, 17—20. Hos versus ut recte suspectarit
Meinekus cum Peerlcampio et Guyeto, nihilo tamen
magis erit res expedita. Nam pro certo mihi constat
quicumque interpolationes addidere Horatio tales fuisse
homines qui et sententiae quam exprimere studerent
et proprietati sermonis latini plene possent satisfacere.
Quod cum ita habeat, quaerendum iam erit de sen-
tentia horum versuum. Et illud quidem extra dubi-
tationem est positum nec pro nominativo habendum
id quod est '*sumptuosa hostia*' nec ad illa '*farre pio
et saliente mica*', suppleri posse '*quam*', cuius mihi qui-
dem hoc loco ellipsis particulae a Latinitate videtur

aliena: certe similis usus exempla frustra quaesivi. —
Simplicissima autem videtur explicatio haec, ut existi-
mem voluisse dicere Flaccum ea ipsa re quod hostia,
quam oblaturus esset innocens, parva esset et vilis
eum dis gratificaturum esse. Deos enim, ab hostiis
abhorrentes, magis pectoris integritatem quam sacri-
ficiorum magnificentiam respicere. Haec sententia huic
carmini aptissima quamquam apud Iudaeos magis et
Christianos quam apud paganos fuit pervulgata, ta-
men cur ab Horatii temporibus abhorrere possit videri
non intellego. Ita Seneca in nobilissimo fragm., quod
apud Lactantium fertur [VI, 25] '*vultisne deum cogi-
tare non immolationibus et sanguine multo colendum*
— quae enim ex trucidatione immerentium voluptas
est? — sed mente pura, bono honestoque proposito'.
Nam ne spuriam existimem stropham illam, hac po-
tissimum causa prohibeor quod et Lygdamus semel [III,
4, 10] et identidem Ovidius eam imitati esse noscun-
tur. — Ceterum iambica vocabula, ut hoc loco, etsi
raro, elidit tamen Horatius in melicis.

III, 24, 4 *terrenum omne tuis et mare publicum*.
'Tyrrenum libri'. Corr. Lachm. Cf. II, 18, 20—22.
Publicum sicut hoc loco etiam in epistulis dixit Hora-
tius [II, 3, 396 sq.] '*fuit haec sapientia quondam pu-
blica privatis secernere, sacra profanis*'.

III, 25, 9. *Exsomnis stupet Euhias*. '*Edonis*' B et
M, quos secuti sumus.

Ib. 16 *proceras manibus vertere fraxinos*, al. fraxi-
nus, fortasse rectius.

III, 26, 1. *Vixi puellis nuper idoneus*. Omnino
recipiendam duxi Caroli Frankii coniecturam, quae
etiam Meinekio fere probatur. Nam qui fieri possit
ut sanus poeta in carmine quod totum rebus amato-
riis est dedicatum, dicere possit se iam abdicasse Ve-
nerem, aut quid sibi velit proxima stropha, falem
interpretationem si sequare, non intellegere me facile
concedo. Ceterum vix est dubium quin imitatus sit
hoc carmine Alcaeam sive Archilochum, quamquam

exempla plane ad rem nostram apta apud eos non inveni [cf. C. I, 32, 5—12. Arch. frg. 1 ed. Bergk., Anacreon 94 ib.].

III, 27, 37 *levis una mors est virginum culpae*. Imitatus est Petronius c. 108 'ei mihi, fata hos inter fluctus quis raptus evocat armis, cui non est mors una satis?' nisi potius expressit Propertii illud [v, 4, 17] 'et satis una malae potuit mors esse puellae'. Quamquam fatendum imitationis Propertii paucissima praeter Nasonem ac vix ulla apud poetas Latinos qui quidem extant haberi exempla.

III, 28, 11 *tum curva recines lyra*; 'tum' Lachmannus, 'tu' libri. — Ceterum illa Cnidon, Cnidium, Cnosium, cycinum quod ubique repraesentamus hac editione, non metricis tantum rationibus perducti eas formas probavimus, sed quia ut Graecanicae magis convenire videbantur carmini melico.

III, 29, 6 *ne semper udum Tibur et Aesulae*. Vulgo 'Aesulae', sed videnda quae Aemilius Huebner Hermae I, 426 notavit.

C. III, 1, 9 sqq. *tempestivius in domum Paulli — commissabere Maximi*. Ita a Bentleii inde tempore vulgo scribitur. Huius lectionis patroni usque ingerunt decantatum illud 'κωμάσω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα'. Et eadem sane constructione saepius κωμάζειν invenitur apud scriptores Graecos. Nec tamen quae ab illis probantur statim ingerenda scriptis Latinis; nam ex his quae attulit B. velut similis usus exempla ad rem non faciunt. Praeterea displicet recepta lectio propter tautologiam: nam statim praecesserat 'abi quo blandae iuvenum te revocant preces'. Codices habent partim *domum*, partim *domo*, ut illud Porphyronis, si Paulyo fides, hoc Acronis auctoritate firmetur. Equidem nisi fallor Horatius scripsit 'domu', quae saepius forma simili corruptela est deformata.

Ib. 16. Vere ut puto Meinekius 'late militiae signa feret tuae', sive 'l. s. t. m. f.' Vide quae notamus ad I, 22, 2.

III, 2, 1 sq. *Pindarum quisquis studet aemulari, Iule, c. o. D.* Etsi falso adserit Peerlcampius triumviri filium Iulium fuisse vocitatum nec videtur dubitandum de disyllabo Iulo [cf. d. r. m. 261], tamen remanet difficultas in eo posita, quod Horatium in carminibus eundem hominem bis diverso nomine adloqui negat idem criticus. Quare dubito plerumque an probandum sit quod placuit eidem nec displicuit, ut puto, Meinekius 'ille ceratis ope Daedalea'.

Ib. 33. 41 *concines maiore poeta plectro — concines*. 'Concinet' Lachmannus, non bene, si sententiam carminis recte capio. Et satis constat, quam nimii saepe fuerint poetae latini, praesertim temporis Augustei, laudandis amicorum facultatibus poeticis.

Ib. 49 *teque dum procedit io triumphae*. Recepti quod aliquando commendare memini Meinekium 'atque' pro 'teque'. Hoc enim quam facile in edd. substitui potuerit illi, relicta ut plerumque rubricatori versus littera initiali, vix est quod moneam. Et iam stabit sententia verbis Flacci necessaria, quam ut solet optime perspexit Bentleius, sed minus bono invento adseruit.

III, 3, 24 *quod spiro et placeo, si placeo, tuumst*. Hoc loco invertitur observatio Lachmanni [ad Lucr. pg. 66], qua usus adfirmavit Horatium in quarto carminum libro vocales longas non elidere. Nam correptae vocis in o exeuntis spondiacae nullum apud illum prostat exemplum.

III, 4, 18—22 seclusi cum plerisque.

III, 5, 18 *nutrit farra Ceres almaque faustitas*; farra B, rura codd. Irrepsit vitium ex loco proxime praecedente ut haud raro apud Flaccum. Minus quidem ab arte commendatur, quamquam per se potest placere, id quod alii scribendum existimarunt v. superiore 't. b. e. prata perambulat'.

III, 6, 25. *Doctor argutae fidicen Thaliae*. Haud cunctanter recipiendum erat illud quod nos posuimus 'Argivae', vel si nullae (quod tamen secus habet) addicerent membranae; et 'mirifice sane placere' idem

professus est Bentleius, cuius videnda adnotatio. Neque hoc casu factum quod Flaccus Dauniam dixit *Camenam* proprio Romanis Musae vocabulo, et opposito apte externo *Thaliae*. Quod porro, amabo, antitheton inter argutae et Dauniae? Nisi forte quis credet Horatium noluisse arguta evenire popularibus carmina sed ut ait Hortensius apud Gellium ἀμύσσα, ἀναφρόδιτα, ἀπροσδιόνυσα. Dauniae autem Camenae cur defensore cumprimis Apolline esset opus apposite declaravit Horatius cum alibi tum noto saturarum loco [I, 10, 31]:

atque ego cum Graecos facerem natus mare citra
versiculos, vetuit me tali voce Quirinus
post mediam noctem visus, cum somnia vera
‘in silvam non ligna feras insanius ac si
magnas Graecorum malis implere catervas’.

III, 8. In hoc carmine constituendo diu rem meditati, Lachmanni et Meinekii, cuius videnda adnotatio, exemplis nos addiximus. Et v. quidem 18, ut omittam praecedentem, non minus manifestus est fraudis quam ille ‘muniant angues caput eius atque’, cum pronomine quod est is abstinere Flaccum in melicis recte observavit Lachmannus. Ceterum quod quidam dixere, minus probari sibi damnato v. 33 epitheto iam carere Liberum, simili idem condicione evenit I, 12, 21, 22.

III, 9, 5 non si priores Maconius tenet sedes Homerus, Pindaricae latent — Camenae. Ex hoc loco Homero Latino Pindari adhaesit vocabulum, de qua re alibi plura.

III, 10, 7—8. Imitatus est Auson. epigr. 13, 5, 6 [ed. Bip.] ‘nunc piget et quereris, quod non aut ista voluntas tunc fuit aut non est nunc ea forma tibi’.

III, 12, 21. 22. Idem ep. x, 35, 36 ‘ad quae si properas, tota cum merce tuarum veni Camenarum citus’.

III, 14, 20, 21 indomitas prope qualis undas exercet Auster. Negat Peerlcampius apud bonos poetas

legi ‘prope’ in comparatione. Sed ita ipse Horatius s. II, 3, 268 sqq. ‘haec si quis tempestatis prope ritu mobilia et caeca fluitantia sorte laboret reddere certa sibi’. Nec tamen satis apte eleganterque admisit in melicis Flaccus, quod potius conveniret sermonibus. Nota autem haud pauca humiliter dicta l. IIII carminum reperiri.

C. S. 21—24. Hi versus, quod fugit diligentiam Kelleri, afferantur a falso Censorino [pg. 46 I.], ut probet centesimo decimo quoque anno repeti ludos saeculares. Ibi Vaticanus habet ‘clara’; sed Darmestadiensis id quod vulgo fertur apud Horatium ‘claro’.

Ep. 2, 27 fontesque lymphis obstrepunt manantibus. Fuit qui haec diceret corrupta, sed eadem quae nos videtur legisse apud Horatium falsus Censorinus, qui hoc affert choliambi exemplum ab ipso puto profectum ductumque ut alia de Flacco [pg. 95 I.]:

calentibusque lympa fontibus semper.

Nec sane video cur recipiamus coniecturam Marklandi, ingeniosam quidem illam ‘frondesque’.

5, 27, 28 horret c. ut m. a. e. Ausonius ep. XXII, 11, 12 ‘horrens c. u. m. a. e.’

ib. 28 Laurens aper, ita scripsimus cum Heinsio, Bentleio, Meinekio, v. ‘currens aper’.

Ib. 69 indormit unctis omnium cubilibus. Hunc versum recte monet Kellerus observatum esse Mario Plotio qui ut falsus Servius falsusque Censorinus alique grammatici saepe exempla metrorum ex Horatianis versibus proprios in usus detortis petunt. Nam septenarii iambici specimina ponit haec [pg. 274 G.]:

δικαιός ἐστιν ὁ φθόνος, τὸν γὰρ φθονοῦντα δάκνει
indormis cunctis omnium cubilibus malignis.

Vbi scribendum esse ‘indormit unctis — malignus’ et numerorum ac sensuum necessitate et Horatii exemplo ostenditur.

Ib. 87 venena maga non, ita Hauptius, edd. ‘venena magnum’.

11, 11, 12 contrane lucrum nil valere candidum

pauperis ingenium. Male plerique (non Bentleius aut Meinekius) accepere per interrogationem. Cf. quae Lachmannus ad Lucr. pg. 74 quaeque nos in libro nostro 439 notavimus.

11, 24 *vincere mollitia amor Lycisci me tenet.* 'Mollitie' ex Zulichemiano et Graeviano dedit B., quamquam ut in versu asynarteto vix opus. Quin alibi peius idem poeta 'ossibus et capiti inhumato', si modo sit sincerum. Tamen quod fuit qui proponeret 'intumulto' damnanti adsentior Orellio, qui vereri se ait ne hoc verbum ab Ovidio primo sit formatum.

13, 3 *rapiamus, amici.* Ita v., corr. B.

Ib. 13, 14 *parvi findunt Scamandri flumina.* 'Tardi' M, quem secuti sumus.

15, 17 *at tu quicumque's felicior atque meo nunc.* Inclinandum duximus verbum auxiliare ideo quod in melicis Flaccus a caesura hexametrorum separare solet elisionem. Nam qui legitur alienus ab hac norma versus C. 1, 7, 13, iniecto nomine proprio excusatur.

17, 21 *verecundus color reliquit ora pelle amicta lurida.* Ita B, v. ossa.

Ib. 25 *urquet diem nox et dies noctem nequest.* Diu rimatis tandem pro explorato evenit nobis illud 'est' etiam ubi idem quod licet significat privari solere littera prima. Cf. tamen d. r. m. 296.

Sat. 1, 17. 18 *hinc vos, vos hinc mutatis discedite partibus.* 'Decedite' Vsenerus, m. Rh. xxiii, 344, puto, vere.

1, 2, 13 *dives agris, dives positus in fenore nummis.* Hunc versum secluserunt Hauptius et Meinekius, quibus obsecuti sumus.

Ib. 38 *moechos* B; 'moechis' alii, 'moechis rem' Clericus, Meinekius.

Ib. 44 *hunc perminxerunt calones.* Inter ἀπαξ εἰρηνέα retulere illud 'permingo'. Sed sumpsit Flaccus ut alia multa ab Lucilio. Neque enim potest dubitari, quin recte emendarit Scaliger fragmentum huius a Porphyrione adlatum ad Flacci illa [sat. 1, 6, 22] 'quoniam in propria non pelle quiessem' scribendo 'lectum

perminxi inposuique pudendam pellibu' labem', ubi vulgo 'per mihi lectum', mox 'pedem pellibus labem'. Ceterum quod ibidem affert Porphyrio proverbium 'non contineri intra pelliculam suam' apparet si ex obliqua oratione transferatur in directam explere trimetrum iambicum comici nescio cuius 'non continetur intra pelliculam suam', sive magis placet 'non continet sese'.

Ib. 45. 46 *cuidam — demeterent ferro* Bentleius, Kirchnerus, 'demeteret ferro' cdd. plerique, 'demeteret ferrum' vulgo, minus bene, ut ille demonstravit.

Ib. 64 *genero* Meinekius, *gener* v.

1, 3, 63 vere ut puto Praedicovius et Horkelius, qui plerumque minus feliciter in Horatii libris emendandis sunt versati 'licenter'. Nam id quod vulgo fertur 'libenter' sane sensu caret.

Ib. 132 *Tonsor erat* ex Bland. vetustiss. Bentleius, Meinekius, alii, quibus merito sumus obsecuti.

Ib. 138 sq. *vellunt tibi barbam lascivi pueri.* Imitatus est Persius 1, 133 'si cynico barbam petulans nonaria vellat', ubi Horatii locum affert Iahnus. Haec autem verba cum aperte ad exemplar Flacci conformarit Persius miro quodam errore ita prosecutus est scholiasta 'quod de Diogene Cynico philosopho dicitur et Laide meretrice' (omissa quae fere adduntur 'vel Thaide' in libro Monacensi [14482 saec. xi]). Dicitur quidem fuisse Diogeni aliqua cum Laide consuetudo [de qua re cf. M. Hertzii ramentorum Gellianorum mantissa pg. 16], sed nihil id ad nostrum locum qui totus pendet ab imitatione Flacci. Quare haec equidem sunt vana et profecta a notissima commentatorum libidine res generaliter descriptas certis illustrandi exemplis. At illud mirum, quod apparet scholion hoc expressum a Luxorio qui vixit Thrasamundi regis temporibus epigrammate illo de quo nuper dixi in analectis [xxxii, ann. phil. a. 1867 pg. 785]. Nempe solum hoc extat, in quantum mihi innotuit, exemplum adhibitae per antiquitatem commentariorum in Persium quae fertur nunc farraginis. Ceterum

novo iam argumento firmatur recte me dixisse carmine Luxorii illo nihil nisi petulantiam Laidis in Diogenem admissam describi.

1, 4, 11. Imitatus est Ausonius prof. Burd. 1, 17. 18 'dicendi torrens tibi copia, quae tamen aurum, non etiam luteam volveret inluviem'.

Ib. 25 *elige* unus e Blandiniis cum plurimis aliis libris; 'eripe' tres Bl., 'arripi' B., fortasse vere. Idem bene nisi fallor inprobat illud quod iam apud plerosque optinet 'erue'.

1, 4, 11 *cum flueret lutulentus, erut quod tollere velles*. Non satis recte intellexisse haec verba Quintilianum [x, 1, 94] nec tam inique de Lucilio existimasse Flaccum ut eum esse aliquid quod tollere velles diceret, monui M. Rh. xxiii, 143.

1, 6, 39 *deicere de saxo*. Reduxi lectionem et Porphyrii scholiorum et multorum nec minus praestantium Horatii codicum testimoniis firmatam. Pro qua quod in aliis est libris *deicere e, ex, a saxo* sive omissa praepositione, interpolatores facile agnosces. Ita tribus syllabis dixere Lucretius 'eicere', Maro et secutus eum auctor Ciris [118] 'reicere'. Et monosyllabum 'cuius' in catalectis Vergilianis prostat. Vid. d. r. m. 271.

1, 8, 41 *resonarent v., 'resonarint' B. M.*

1, 9, 17 *circuagi* scripsi, itaque Monac. 1 ap. Kirchnerum, minus recte v. *circumagi*. — In vv. inc. auct., sed Horatio aequalis, qui praemitti solent s. x, scripsi cum Meinekio 'quo melior vir et est' praeterea cum Reisigio 'puerum'.

1, 10, 27 *oblitos B, M, quos secuti sumus.*

Ib. 73 sqq. *fuert limatior idem quam rudis et Graecis intacti carminis auctor q. p. s. t.* Hic quasi in turbas et factiones discedunt docti; nam alii cum Meinekio (id quod praeiit C. Fr. Hermannus) putant Lucilium dici auctorem saturae, quidam cum Bernhardy [h. l. L. pg. 551 ed. 3] Ennium existumant. Mihi quidem hanc unice veram esse explicationem sat

constat; alteram et a sermonis Latini legibus abhorere et vel minime si abhorreat refelli insequente illo 'q. p. s. t.' Quid enim? Lucilius si tanta fuit elegantia ingenii praeditus, ut indocto et ideo spreto a Graecis carmine cum primum animum applicasset comitatem adderet et urbanitatem, mirumne erit eum poetas praecedentes tempore (nam de posterioribus nemo facile cogitarit) et ob id ipsum pinguiore vicisse arte? Vt omittam quam non sit concinnum illud 'q. p. s. t.', si auctor ille saturae nec ipse fuerit diversus ab Lucilio. — Neque repugnantia tradidit Flaccus supra ubi Lucilium inventorem saturae dicit. Nam quatenus rude et a Graecorum elegantia alienum carmen fuit satura, cui fere quidquid negotii evenisset humani an dicam quodcumque in buccam venisset exiguo insereretur dilectu, auctorem sive inventorem, hoc est qui primus litteris latinis addidisset merito dixit Ennium. Et hunc quidem qui obiter nec nisi privatorum hominum vitia tangeret castigaretque in opere secuti sunt Pacuvius et nisi omnia me fallunt Varro cui Reatino cognomen. Novam autem et diversam plane ab Ennii saturam protulit Lucilius, quae potissimum emendandis consilio et exemplo civium moribus esset dedicata, primoresque populi ipsumque arriperet populum; quam diu iacentem post illum resuscitarunt Caesaris dictatoris temporibus Varro qui dictus ab Atace; mox meliore successu Horatius, Persius, Iuvenalis, omnes eadem plane qua Lucilius via ingressi, excepto quod mutata temporum condicione recentioris potius Atticorum comoediae quam priscae more in denotandis hominibus sunt versati. Apte faciunt ad hanc explicationem quae Suetonius apud Diomedem de satura tradidit [pg. 20 Reiff.]. Ceterum apparet ea ipsa re quod mutato genere et contractis finibus operis exundantem materiam intra certa, quo proposito suo conveniret, coercuit spatia Lucilius, oportuisse evenire, ut cultum quandam limamque ac nitorem reciperet eius satura, differretque ab illa rudi

indigestaque mole qualis apparet in Enni ac Varro-
nis libris.

Ib. 86. *Bibule Muretus, N. Heinsius, B., M.,
'Bibuli' v.*

S. II, 1, 22 *Pantolabum scurram Nomentanumque ne-
potem.* Memoria dignum quod Acro notat ad h. v.
'nomina sunt luxuriosorum, quos iam (vulgo etiam)
in priore libro, etiam Lucilius carpsit'. Nempe No-
mentanum ab hoc bis memorari lib. II [5. 14 G.] sat
constat, neque ulla est causa, cur dubitemus de Pan-
tolabo ab eodem perstricto. Ceterum siquid sentio
plerasque personas in saturis vel epistulis occurrentes
et nominatim compellatas a Lucilio sumpsit Flaccus;
unde vereor ne illi qui de personis Horatianis scri-
psere prisco tempore saepissime opinionibus sint lapsi.

Ib. 39 *sed hic stilus haud petet ultro quemquam ani-
mantem.* Monacensis Porphyrius 'hau'. Quae forma
an et alibi apud Hor. inveniatur, diligentius quae-
rendum. Notandum autem eum numquam in melicis
uti hoc adverbio, quo et alii abstinent poetae.

Ib. 68 *famosisque Lupo cooperto versibus.* Ita mem-
branae, nec mutavi. Sed euphoniae latinae ac syni-
zesis leges qui probe norit, ei vero facile apparebit
scribendum 'coperto'. Cf. d. r. m. 253.

II, 2, 29, 30 *carne tamen quamvis distat nil hac ma-
gis illam inparibus formis deceptum te petere! esto.* In
hoc versu omnia diu qua poteram animi intentione
meditatus tandem eo descendi ut prorsus mihi a Mei-
nekio dissentendum existimarem. Ac primum quidem
nego ac perneco quod dicit vir summus interpolatam
esse ac fraudis manifestam quam nos recepimus dit-
tographiam. Nam ut alia testimonia codicum minime
spernendorum mittam, apparet Porphyrius legisse
id quod nos posuimus, quippe qui ad illa 'carne ta-
men quamvis' notet haec: 'carne tamen hac (hanc
Mon.) magis illam petere te deceptum inparibus for-
mis, quamvis nihil distet, esto'. Quem vides praeisse

Orellio interpretationem istam, quam merito reiecit M.
Praeterea Acro pro diversa lectione memorat id quod
est 'illam petere'. Cuius ad v. 29 notata exstant
haec: 'illa, al. *illam*, non distat, inquit, sed ideo
petis quia maior est'. Quid quod omni pignore affir-
marim Blandinium librum, vetustissimum eundemque
optimum omnium, habuisse 'te petere'? Nam etsi
Cruquius totus scilicet occupatus ille proferendis exi-
stimationibus propriis nihil omnino monet ad h. l. de
varietate membranarum vel minima, tamen secundus
Gothanus, qui adeo ubique repraesentat lectiones Bland.
antiquiss., ut ex eodem seu plane gemino exemplari
ductum esse appareat, exhibet talia 'c. t. q. d. nihil,
haec magis illam, i. f. d. te petere, esto'. Iam post-
quam satis adstruximus testimoniorum firmitate hanc
lectionem, videamus quid significet. Et talem equi-
dem eius sensum esse aio persimplicem, ut infinitivus
ille usu pervulgato indignantis vel potius mirantis Ho-
ratii animi exprimat notionem. 'Sollte man es glau-
ben, dass du jenes Fleisch lieber wuenscht als dieses,
obwohl es nicht im Geschmack verschieden ist, bloss
wegen des ungleichen Aeussern der Voegel?' — Iam
sequentia aptissime cohaerent cum praecedentibus.
Nempe ut concedam hoc, inquit Flaccus, quamquam
subabsurdum, quamquam iam fit tua ineptia, ut in pre-
tiis piscium eiusdem plane generis taxandis loca unde
veniunt anxie distinguas, etsi minime haec faciunt ad
eos pulchriores melioresque reddendos. — Ceterum
'hac magis illam' an 'hanc magis illa' potius scri-
bendum existimes nihil refert.

Iam quod ad alteram lectionem pertinet, videtur esse
orta ex glossemate, quo ad infinitivum adhibitum modo
non vulgari adscriptum erat illud 'patet'. Quamquam
quam facile potuerit etiam fieri, ommissa vocali ultima
ut corrumperetur in 'patet' id quod est 'petere', ne-
minem fugit. — Mutato autem infinitivo etiam 'illam'
in ablativum diffingi necesse erat. — Vulgatas autem
quotquot inveni interpretationes non nego mihi qui-

dem videri abhorrere partim a legibus sermonis latini partim a simplicitate sensus communis.

Ib. 123 *cupa* Bentleius, ut puto vere.

II, 3, 1 *si raro scribis, ut toto non quater anno.* Meinekius cum non posse ferri illud 'scribis' Lachmanno [in Lucr. pg. 77] ad sensum esset, ad metrum fulciendum addidit 'tu' elisione longae in tertia thesi durissima ac vel in hisce poematis rarissima. Equidem si hunc locum corruptum esse statuerem, leniore nisi fallor medicina usus scribendum esse existimarem trajecto uno vocabulo ita 'toto non ut quater anno'. Sed nihil opus. Vide quae disseruimus d. r. m. pg. 331. Nam Horatius cum tertiam personam indic. praes. coniugationis tertiae produxerit sub legitima venia ut puta 'si figit adamantinos' vel 'exclusus qui distat? agit ubi secum, eat an non?', cur non in secunda eandem adhiberet libertatem? Illud enim post disputationem nostram [pg. 324 — 330] paucissimi opinor iam credent Flaccum non licentia poetica sed Aboriginum si dis placet exemplo olim productas porrexisse aliquando finales in t exeuntes.

II, 3, 11, 12. *Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro? Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?* Omnino illud 'tantos' non sicut vulgo solet sed per 'tot' explicandum, sicut apud Propertium habes 'at tibi curarum milia quanta dabit'. Cornelia in regina elegiarum de liberorum turba 'famae pignora tanta meae'. Ovidius l. Trist. II [442] 'quis dubitet nomina tanta sequi'. Vbi fallitur egregie qui 'tanta' dici putet pro tam amplis. Nam nec ad rem facit Nasonis praestantia poetarum quos modo enumerat eroticorum sed multitudo, et plurimos de proletariis ante memoravit ipse. Huc etiam pertinet epigramma Martialis VI, 54. Et similia passim alii.

Quid enim? non et ipsi magni fuere scriptores Plato et Menander comici? Praeterea omittentur, nisi nostram sequere interpretationem, illi auctores quos numquam defuisse Flacco studiis dedito facile tibi per-

suaseris ut puta acer hostis Bupalus et praesertim, quem omni imitatione premit, magnus Auruncae alumnus.

Ib. 39, 40 *pudor, inquit, te malus angit, insanos qui inter vereare insanos haberi.* Imitatus est Sympos. praef. aenigm. v. 16 'insanos inter sanum non esse necessest'.

Ib. 83 *nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.* Ita v., sed melius erat ut puto vitando asyndeto satis ineleganti recipere id quod Meinekius proposuit 'nec scio'.

Ib. 117 *ulvae idem, unde libri.*

Ib. 231 *qui cum venere B. quid tum? venere v., quid tum? ut venere M.*

Ib. 273 *penes te's scripsi, penes te es v.*

Ib. 276 *in quem C. Frankius, Meinekius, quos secuti sumus.*

Ib. *qua me stultitia* cdd. Cruquii praeter Martinium omnes et aliorum longe plurimi, quam praetullimus lectionem ut vitaretur insuavis hoc loco homoeoteleuti sonus stultitiam quoniam. Nam Bentleio et Meinekiio placuit illud quod paucis testibus nixum est 'quam me stultitiam', quae varietas scripturae ni fallor ex initiali secundi vocabuli littera traxit originem.

II, 4, 13 *ut suci melioris et ut magis alma rotundis.* Ita B, M, al., codd. 'alba'.

Ib. 19 *musto mersare Falerno.* Ita Landinus et plerique post Bentleium, 'misto' seu 'mixto' cdd.

Ib. 17 *si vespertinus subito te oppresserit hospes.* Notandum Horatium ut plerosque poetas abstinere adverbio 'repente'. Male fertur apud Tibullum quod et aliam ob causam damnandum est 'nunc mare nunc leti mille repente viae' pro eo quod est unice verum 'multa reperta viast'.

II, 5, 20, 21 *fortem hoc animum tolerare iubebo, et quondam maiora tuli.* Omnino vere siquid sentio Praedicoivius et Horkelius cum editione Cratonis 'tulit' ad similitudinem Homerici exempli quod hic ut saepe expressum est a Flacco [Od. xx, 18] 'τέτλαθι δή,

κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης'. Et apparet t finalem insequente eadem littera esse haustam.

Ib. 103 *inlacrima. e re est*, Praedicovius, Lachmannus, M., al., 'inlacrimare est' v.

II, 6, 48, 49 *ludos spectaverat una, luserat in campo*. Ita cdd. longe plurimi, et recte, modo addas cogitando particulam 'si'.

Ib. 59 *perditur haec inter misero lux*. Minus bene facit ad sententiam id quod Lachmannus excogitavit 'porgitur'; unde recipere non magis sum ausus quam quod nobis in mentem venit longiuscule quidem remotum a traditis 'deperit'. Ceterum non omnino alienum a Latino sermone esse illud 'perditur' Hieronymi et Prosperi, qui huic fuit aequalis exemplis adductis demonstravi *annal. philol. a. 1866 pg. 864*.

Ib. 63, 64 *o quando faba Pythagorae cognata simulque uncta satis pingui ponentur oluscula lardo?*

Suspectarunt illud 'satis' Bentleius et Meinekius, e quibus alteri 'focis' alteri placuit 'fabis'. Et illud quidem male se habere (nam potius expectaveris id quod est 'mensis') plerisque adsentior, sed ne fabis quidem hic locum esse credo, cum repetito hoc vocabulo oriatur πάθος orationis ingratum ac frigidum. Nec vero coniecturis opus; nam recte Orellius et Kirchnerus cum plerisque aliis illud 'satis' referendum existimarunt ad vocem praecedentem.

II, 7, 21, 22 *non dices hodie quorsum haec tam putida tendant*. Male vulgo 'hodie' illud ad priora referunt, cum aperte pertineat ad insequentia. Nempe id quaerit Flaccus cum indignatione, cur hoc die sive ut alius poetae verbis utar saturnalibus optimo dierum nugas illas et quisquilias proferat Davus. Videnda eiusdem s. II, 3, 4, 5 et Cat. c. XIII, 12—15. Ceterum paullo aliter atque erus voluerat interpretatur vocem 'quorsum' servus.

Ib. 87 sqq. *teres atque rotundus, externi nequid valeat per leve morari, in quem manca ruit semper fortuna*. Haec aut nullum sensum praebent aut ab Horatio

alienissimum. Equidem ni fallor, omnino scribendum 'in quo'; id sequente m labem traxit.

Ep. I, 1, 9 *peccet ad extremum ridendus et ilia ducat*. 'Ilia ducere de iumentis dicitur, quorum ilia crebris pulsibus tenduntur rursusque remittuntur'. M.

Ib. 56 *laevo suspensi loculos tabulamque lacerto seclusit* Meinekius, quem secuti sumus. Idem proxime insequentia illa 'hic murus aheneus esto, nil conscire sibi, nulla pallescere culpa' ab interpolatore venisse putat. Sed videnda, quae disputat Zangemeisterus de Hor. voc. sing. pg. 30 sqq.

Ib. 73 sq. *olim quod volpes aegroti cauta leoni respondit, referam* etc. Haec de Lucilio sumpta, cuius etiam nunc de ea re extant quidam versus recte monet Porphyrio: sed ne hic quidem primus verum ipse ut Horatii verba mea faciam rudis et Graecis intacti carminis auctor Ennius saturis adhibuit logum Aesopium [cf. Gell. II, 29]. Eo satis frequenter usus Flaccus, unde nuper Aviani de ea re locum commode emendavimus. Cf. et Teuffelii hist. I. L. p. 31.

Ib. 91 *viden ut pro 'ride' Bentl.*; male, nam nimis ἀρχαϊκῶς nimisque σεμνῶς.

I, 2, 28, 29. Imitatus est Auson. epist. VIII, 14. 15.

Ib. 31 *cessantem — somnum* Bentleius, Meinekius, cdd. 'cessatum somnum' sive 'euram'.

I, 5, 11. Corruptelae signum adfixi vocabulo primo huius versus, cum nec defendere sustinerem, nec recipere quod placuit Meinekio 'festivam', non modo quia proxime praecessit festa dies, sed quia abstinent fere dactylici adiectivo quod est festivus.

Ib. 16; I, 7, 6. Fleckeiseno hortante [l. m. pg. 16] haud dubie recepi dissignandi vocabulum pro designandi:

quid non ebrietas dissignat?

dissignatorem decorat lictoribus atris.

Nam etsi variant codices, in quorum parte nimirum substitutum est verbum usu frequentius, scholiastarum

auctoritate firmatur id quod probatum est Fleckeiseno. Quippe apparet priore loco etiam Porphyriionem (qui silet de posteriore) legisse illud dissignat, ita cum sint scribenda verba eius 'quid non ebrietas dissignat? dissignat, aperit?'

I, 7, 29 *nitedula* B, M, *vulpecula* libri.

I, 10, 37 *victo ridens* Hauptius ('victo' iam Bentleius), 'victor violens' ead. Notum in medii aevi libris saepe permutari inter se illa ol el d.

I, 12, 27 *ius imperiumque Phrahates*. Vide quae notamus ad C. II, 2, 17.

I, 13, 14 *ut vinosa glomus furtivae* † *Pyrrhia lanae*, *Pyrrhia* vocabulum corruptum Lachmanno [ad Lucr. pg. 408], Meinekio, Zangemeistero [d. H. v. s. pg. 6] adsentior. *Glomus* ut hic brevi priore Flaccus, producta videtur dixisse Lucretius I, 360, atque ita poeta haud sane amplius, aequalis et popularis *Luxorii* [A. L. 1132, 6] 'pulveris ut pilula brevis est, ut *glomus* hic errat?'

Ib. 5. II, 2, 28; ib. 120. Revocandam existimavi refragantibus frustra librariis illud quod est 'vemens'; cf. d. r. m. 253, 54. Et ultimo quos posui locorum iam in Hauptii et Meinekii exemplaribus invenitur *vemens*. — Idem cur id quod est *prehendo sollicitarem*, ubi stare posset salvo metro nullam inveni causam. Vid. l. m.

I, 15, 37 *diceret urendos corrector Bestius*. *corrector* Lambinus, B, M, al., *correctus* v.

I, 18, 46 *Aeoliis* cod. Franequeranus, Vlietius, Meinekius, 'Aetolis' v.

Ib. 91, 92. *Secutus sum* Meinekium.

I, 20, 28 *collegam Lepidum quo duxit Lollius anno*. 'Dixit' pro 'duxit' Doeringius.

Ep. II, 1, 26 *annosa volumina vatum*. Vide quae de vatis vocabulo cum cura exposui d. r. m. pg. 65 sqq. Quamquam tum temporis fugerat me — pro dolor! —

Marcus quidam vates qui iam fertur in scholiis Horatianis, ut puto idem qui olim in plautino quodam prologo grassatus est:

Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare.

Nempe codex longe praestantissimus Porphyriionis habet Marcii. Notus autem Marcus ille ex Livio, Macrobio, aliis.

Ib. 31 *nil intrast olea, nil extra st in nuce duri* Vulgo 'oleam'; corr. B.

Ib. 58 *Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi*. Haec verba multis modis a doctis agitata nihil aliud significare nisi Plautum plane sicut Epicharmum semper ad eventum festinare, ut alibi ait Flaccus, plerisque adsentior. Dixit de hoc loco nuperrime Teuffelius [h. l. L. pg. 121] qui apte confert Aristophanis illud [Eccl. 583] 'ὡς τὸ ταχύνειν χαρίτων μετέχει πλείστον παρὰ τοῖσι θεαταῖς'.

Ib. 85 *inberbes didicere, senes perdenda fateri*. 'Imberbi' comm. Cruquianus, idque unice verum iudice euphonia; de qua re dixit Bentleius. Ita et Meinekius.

Ib. 101 *quid placet aut odiosum quod non mutabile credas?* Hunc versum traiciendum post 107 innuit Lachmannus comm. Lucr. pg. 37; et probat Zangemeisterus dissertationis saepius mihi laudatae pg. 44. Quos pro fide sequendos existimavi, cum verba ista quid sibi vellent loco quo vulgo feruntur omnino non appareret.

Ib. 195 *diversum confusa genus panthera camelo*. Nota imitationem Lucilianam. Neque enim nunc dubitamus quae feruntur apud Nonium [pg. 120] s. v. hippocampi 'Lucilius transverso ordine posuit hippocampi elephantocamillos' quin recte emendaverimus olim scribendo 'camphippi; et pantherocamelos'. Quid enim, amabo, hippocampis cum elephanto et camelo? Recte autem mutatae ordine compositionis exemplum etiam illud pantherocamelos adhibuit Nonius, quoniam aliter dici solet camelopardalis, quod sane ne inversione quidem ulla in dactylicum redigi versum licebat vocabulum. Neque obstat hercule quod fera illa

non nisi dictatoris Caesaris tempore visa Romae; nam et rhinocerotis meminit Lucilius, qui nec ipse aetate eius Romae fuit conspectus.

Ib. 198 *ut sibi praebentem mimo spectacula plura*. 'Bland. antiquiss. legit *nimio*; quod nec displicet'. Cruq. Atque ita Hauptius et Meinekius, quos secuti sumus.

Ib. 234 *regale nomisma Philippos*. Haec adeo placuere Ausonio ut bis exscriberet ep. v, 19; xviii, 5.

II, 2, 74, 75 Imitatus est Ausonius ep. x, 25. 26.

Ib. 87, 88 *frater erat Romae consulti rhetor, ut alter alterius sermone meros audiret honores*. Omnino adsentiendum Meinekio ante illud quod est ut alter excidisse verum, quem talem ferme ab Horatio venisse existimavit 'uterque — alterius laudum sic admirator'.

Ib. 163 *nempe modo isto*; pronuntiandum 'modo sto'. Cf. d. r. m. 304.

Ib. 199 *pauperies inmunda — procul absit. ego utrum*. Hunc locum in archetypo Horatii librorum sicut alios quosdam fuisse lacunosum nec quicquam nisi interpolationem foedissimam referre quidquid ingerunt membranae supplendo hiatus peritissimus quisque criticorum intellexit. Quo magis miror, eos emblemata ista integra sive utcumque mutata tueri maluisse. Et Bentleius quidem, non usus solita felicitate, scripsit 'procul procul', id quod prostat in c. Pulmanni; quod non modo ut παθητικώτερον sed quia eget oratio particulae concessivae sive adversativae adminiculo merito improbarunt Gesnerus et Meinekius. Hi autem coniectura inventum quod praetulere 'modo' (nam in permultis libris legitur ineptissime 'domo procul', 'procul domo', sive simillima), quantum ad sensum habet rectissime, sed pedis leges violari eo admissio docui d. r. m. 334. Mihi in loco aperte lacunoso missis monachorum ludi-briis sententiae unice videtur esse consulendum; neque invenio quid dignius sit Flacco quam tale:

pauperies inmundata tamen procul absit.

Ita alibi idem totidem fere verbis, quae exscripsit hoc versu ut similiter alia [III, 16, 37]

inportuna tamen pauperies abest.

Ib. 207 *caret (pectus) mortis formidine et ira*. Hoc est 'et mortis ira', ut Maro 'ereptae virginis ira'. Lucretius l. III [1045] 'tu vero dubitabis et indignabere obire?'

II, 3, 46, 45. Secuti sumus ordinem a Bentleio institutum.

Ib. 63 sq. *sive receptus terra Neptunus classes Aquilonibus arcet regis opus etc.* Credo nimia usum anxietate mirari Meinekium regis appellatione quam refugerit semper hoc loco significari Augustum, cum vocabulum istud minime ad potestatem huius sed ad magnificentiam declarandam adhibitum esse sat constet. Ita alibi [C. II, 14, 11. 12] 'sive reges sive inopes erimus coloni'; nec minus de Romanis luxuriantibus [S. II, 2, 44] 'nec dum omnis abacta pauperies epulis regum', ut similia pleraque mittam. Ceterum num observatus sit, quod putavit Tollius, hic locus Ausonio, qui [ed. 10, 290] Hellespontum ponte iunctum 'Regis opus Magni' vocavit, vix ausim definire.

Ib. 65 *regis opus sterilisve diu palus aptaque remis*. Hic inveterato mendo (nam et Servius et Priscianus agnoscunt vulgatam) pyrrhichiacum effertur illud palus, quod certatim explosere Bentleius, Meinekius, Lachmannus [M. Rh. III, 617], postremo nos [d. r. m. 308. 342]. Et satis quidem bene Gesnerus traiectis vocabulis scripsit 'palus diu', quamquam fatendum simile prorsus huius hiatus exemplum apud Flaccum non reperiri. Quare si quis cum Bentleio gravius adfectum putet hunc versum, nos quidem non valde repugnabimus. Interim ne creticum pro dactylo admitteremus ubi non licet, Gesneri inventum probavimus.

Ib. 101. *Vt ridentibus arriident, ita flentibus adflent*. 'Adflent' ex grammatico Vigornensi dedit Bentleius, quem secuti sumus. 'Adsunt' plerique cum Meinekio.

Ib. 120 *scriptor homericum si forte reponis Achillem*. 'Homericum' vel 'homereum' Bentleius, 'honoratum' edd. Priorem praetulimus formam ut et propius distantem a traditis et exemplo firmatam Priapeorum 'Homericas edidicique notas', ubi membranae habent meracas.

Ib. 154. *Si plosoris eges*. Bentleius *fautoris*, Peerlcampius et Meinekius *spectatoris*, minus bene ut puto. Vide quae notamus ad c. I, 15, 21; III, 6, 26, 30.

Ib. 157 *maturis B, M, nararis v.*

Ib. 417 *occupet extremum scabies*. Haec a Flacco transformata esse de versiculo quodam puerorum Romanorum ut puta hoc

habeat scabiem quisquis ad me venerit novissimus olim docuimus [ann. phil. 1864 pg. 484]. Ita alibi eidem proprios in usus detorta cantilena simillima réx erit qui récte faciet; qui non faciet, nón erit.

Ib. 459, 60 *licet succurrite longum clamet*. Huic similis plane ac par est locus Vergilianus [ecl. 3, 79] 'et longum formose vale, vale, inquit, Iolla'.

Ib. 431 *ut qui conducti plorant in funere, dicunt et faciunt prope plura dolentibus ex animo sic*. Similiter Lucilius lib. xxvii.

— mercede quae conductae fient alieno in funere praeficae multo et capillos scindunt et clamant magis.

Exemplo tamen haec fuisse Flacco non ausim affirmare, nullo cum pacto possit demonstrari Horatium magis quam plerosque auctores Latinos trochaicis et iambicis Lucilii usum.

Iam quod longe gratissimum accidit nobis negotium ad metra Flacci enarranda accingimur. Neque enim possum negare quae vulgo feruntur artis Horatianae enchiridia minus fere mihi probari, cum nec vetustis ac pridem confutatis erroribus careant pleraque nec recentes doctorum curae quo oportebat studio adhibitae esse videantur in eisdem.

LIBELLVS

DE METRIS HORATIANIS.

De metricis rationibus Flacci iam a primis inde temporibus multum quaesivere grammatici veteres, sed enim exiguo cum fructu. Nam ut omittam suptiliora pleraque artis eis minime fuisse perspecta, duobus maxime erroribus mirum in modum sunt confictati, altero quod immodice usi epiplocae artificio ab hexametro dactylico sive trimetro iambico versus Horatii plerosque omnes repetendos esse existimarunt, altero quod *systematum* (vulgo *strophas* nuncupant) quaternis versibus constantium praeter sapphicum et alcaicum et quaedam asclepiadea nullam omnino habuere notitiam, quam post xviii ferme saecula redintegrarunt Meinekius et Lachmannus. Nam nec apud Caesium Bassum aequalem Neronis, cui inscripsit librum de metris, melioris doctrinae apparet vestigium nec magis in canticis Senecae tragici, quae cum ubique versusum Horatii lyricorum aperte declarent imitationem, systematum tamen eiusdem *praeter unum sapphicum*, quod quidem omni tempore Romanis fuit perquam gratum et acceptum, nullam usquequaque produnt peritiam. Ne alcaicum quidem, quod totiens adhibuit Flaccus apud Annaeum sive alios reperitur, unum Statii Silvarum carmen [III, 5] si exceperis. Ex choriambicis quod constat asclepiadeis ternis et singulis glyconeis apud Severum hominem christianum, qui fuit regnante Theodosio, et in hymnis pauculis reperitur.

Alioqui metra illa quaternis versibus constantia cum tanta arte tantoque iudicio exulta fuissent a Flacco prorsus abiere ex usu [d. r. m. 118], magis optinere binis versibus quae formarentur qualia habes epodis eiusdem auctoris citra ultimam. Praeterea ex melicis eiusdem versibus novā finxere systemata serae scriptores aetatis, de qua re vid. d. r. m. pg. 119, 120.

Inter recentiores cum cura in Horatii artem qui inquirerent extitere Richardus Bentleius, Augustus Meinekus, Carolus Lachmannus. 'Quartus ab his serie temporis ipse fui', ut Nasonis verba faciam mea.

Itaque iam ad singulos versus ex ordine breviter enarrandos aggredior, mox systematum subiecturus conspectum.

Ceterum ne nimis opusculi huius moles adgravetur, si quando metricae rationes Flacci aliorum poetarum Latinorum placitis erunt illustrandae, classicorum ferme quos vocant exemplis adferendis adquiescemus, christianorum adhibebimus rarissime.

I. Hexameter dactylicus.

⏏ ⏏ ⏏ | ⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏
⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏ | ⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏

Lucilius (nam hic primus teste Suetonio satiram ad carpenda hominum vitia exemplo antiquae Atticorum comoediae deflexit) quem plurima imitatione premit Flaccus, operibus propriis longe frequentissime adhibuit hexameterum dactylicum cui soli cessere — praeter unum voluminis xxii carmen elegiaco metro compositum — libri priores xxv et tricesimus idemque postremus. In eis, qui sunt medii, trochaici potissimum septenarii et senarii iambici optinere [d. r. m. 72]. Ceterum miro accidit fato ut horum praeter Nonii excerpta exigua ac paene dixerim nulla haberetur a grammaticis ratio; nam nec Gellium eis usum esse constat. Sed de hac re plenius disseram, si quando, quod pridem cupit animus, Lucilii fragmenta edere licuerit.

Ceterum cum iambi ac trochaei, qui omnibus locis praeter ultimum adsumunt spondeum, iam ab Augusti inde aetate, unum modo Phaedrum exemeris, poetarum ex usu recesserint, non erit mirum, Horatio etiamsi libri Lucilii a vigesimo sexto ad undetrigesimum innotuerint quod quidem non magis poterit demonstrari quam Persium ac Iuvenalem eis usos tamen solum versus heroicum scribendis satiris esse conprobatum. Illud tamen restat dubium utrum primum metrum illud legitimum esse voluerit Flaccus operi tali an Varro Atacinus et quidam alii quos proxime tempore praecedentes Lucilii saturam cum per annos LXX iacuisset rursus instaurasse tradit ipse [serm. i, 10, 46, 47]. Ceterum utcumque res se habet, licebit affirmari pro certo Horatii potissimum qui prioribus satiricis praeter unum Lucilium caliginem induxit auctoritate et exemplo esse factum ut Persius, Iuvenalis, Sulpicia in componendis satiris solum adhiberent hexameterum. Idem semper metrum ab illo in epistulis usurpatum, et subinde in epodis ac lyricis, sed enim subiectis numeris diversis.

Ceterum de hexametris Horatianis dicendi copia cum paene sit infinita, nos paucissima eaque gravissima excerpemus, cum reliqua ex libro nostro d. r. m. p. l. facile petere possint qui desiderarint.

Satirarum et epistularum libri cum sermoni sint propiores repantque, ut ita dicam, per humum nec ad altioris carminis evehantur spiritum, non poterit videri mirum Horatium artis eius versus quam aequales ipsi Vergilius et Ovidius diligentissime excultam cum summa laude optinuerunt exiguam habuisse rationem. Magis tamen limam expertae epistulae quam saturae, sed ut summa rationum metricarum in utroque opere non multum differat. Maxime autem hexametri Flacci a Vergilii et Ovidii distant ut varietate pedum et incisionum asperitate ita rhythmorum inelegantia et multitudine elisionum. Quae singula breviter declaranda.

I. Itaque cum in sermone Latino multo plures inessent spondei quam dactyli, Horatius et ceteri satirici neque illud caverunt, ne versus nimis gravarentur onere spondeorum, nec magis studuere quod praestantissimus quisque reliquorum poetarum ut mixtis pedibus et confusis grata illa numerorum heroico metro concessorum quam in Vergilii libris admiramur oreretur varietas.

Sed enim diligenter curavit Flaccus, ne in satiris et epistulis spondeus quinto loco positus occurreret excepto uno versu libri de a. p. [467]:

invitum qui servat idem facit *occidenti*.

Quod cave casu factum esse existimes. Etenim a Catulli inde temporibus poetae Latini imitatione Alexandrinorum epicis carminibus et didacticis et elegiacis ornamenti causa cum cupidius adhibuissent paenultima sede hexametri spondeum (unde Tullius noto ioco [ad Att. VII, 2, 1] 'ita belle nobis *flavit ab Epiro lenissimus Onchesmites*. Hunc tu σπονδειάζοντα sicui voles τῶν νεωτέρων pro tuo vendita'), Horatius versiculos tales iure ab satirarum et epistularum per humum repentium simplicitate segregandos esse censuit. Idem Persii iudicium [cf. d. r. m. 143]. Contra in paucissimis epodon et melicorum hexametris, qui quidem altius insurgunt, quater admisit spondiazontas [ep. 13, 9, 16, 17, 29. c. 1, 28, 21], semper quidem in tetrasyllabis.

II. Caesura in hexametro latino optinet anapaestica. Longe autem frequentissima est πενθημιμερής sive semiquinaria, qualem habes hoc metro:

qui fit *Maecenas* | ut nemo quam sibi sortem.

Haec si abest a versu, spectandum an post quartam arsin verbo finito ἐφθημιμερής sive semiseptenaria reperiatur:

an vigilare metu *exanimem* | noctesque diesque.

Ea divisio cum praeter semiquinariam plurimum optineat in metro latino, Graecis non perinde probatur.

Ceterum cum ea admissa minus aequales evadant versus partes, accedit fere trithemimeris sive semiternariam dixeris, *qua tamen sola metrum stare non potest*:

miraris | cum tu argento | post omnia ponas.

Praeterea elegantissimus quisque poetarum caesuris semiseptenariae et semiternariae etiam hanc addidere observantiam, ut post trochaeum tertii dactyli terminaretur verbum

infandum | *regina* iubes | renovare dolorem.

Notandum tamen Flaccum in satiris et epistulis saepe admittere hephthemimerim sine trithemimeri.

fit Mimnermus et optivo | cognomine crescit
Bari moenia piscosi | dein Gnatia lymphis
sed convivatoris uti | ducis ingenio rem
quodque aliena capella gerat | distentius uber.

Talia numquam in iambis ac melicis reperiuntur, nisi semel iniecto nomine proprio [c. 1, 28, 29] 'ab Iove Neptunoque sacri | custode Tarenti'. Ceterum ne hoc quidem dubitatur si post quintum semipedem verbum, post septimum cum parte orationis etiam sensus finiat, caesuram fieri posteriore loco:

oscula *libavit natae*. | dehinc talia fatur.

Atque hanc speciem semiseptenariam cum illa infandum | *regina* iubes | renovare dolorem exclusis omnino aut raro admissis reliquis adhibuere praestantissimi Romanorum versificatores.

Superest τομή κατὰ τρίτον τροχαῖον, h. e. caesura tertia trochaica, Graecis iam ab Homeri inde sed magis a Nonni tempore accepta illa perquam et probata, quae tamen cum parum habeat vigoris in Latinis versibus sive Germanicis minus recte adhibetur. Ea tamen necessitate metri satis saepe usi sunt vetustiores Romani, id quod Lucretii maxime conprobatur exemplo, et secutus hos Horatius. Habes autem ut puta in hunc modum

ut festis *matrona* | moveri iussa diebus.

Ea autem etiam peius accidit ad aures, si aut in

praecedente pede aut in subsequente reperiatur similiter verbum in trochaicum exiens:

hunc neque *dira venena* nec *hosticus auferet ensis*.
accessit *numerisque modisque* licentia maior.

Semel etiam sed non sine consilio adhibuit Flaccus hexametrum utraque inelegantia et multiplicato exitu trochaico insignem:

dignum *mente domoque legentis honesta Neronis*.

Huius similem in metro latino non reppereris.

Caesurae bucolicae, quae, auxiliariae vice fungens, post quartum accidit dactylum, apud Romanos usus nullus.

Versus incisione carentes Lucilius aliquando, sed minime probavit Horatius. Nam quos afferre solent ut puta tales

non quis videt *inmodulata poemata iudex*
cur ego si nequo *ignoroque poeta salutor*
an tu reris eum *occisa insanisse parente*,

eos iure tmesis legitimam post tertiam arsin in praepositione verbi compositi habere caesuram alibi comprobavi [d. r. m. 369. 370].

III. Porro in secundo pede versus reperitur saepe vocabulum dactylicum — quod raro Vergilius, ne semel quidem admisit Naso — ad hunc modum:

turbae *comparet*, hunc atque hunc *superare laboret*.

Idem etiam bis in iambicis ac melicis occurrit vitium [ep. XIII, 1. c. III, 7, 7].

Sed spondiaca eadem sede poni a Catullo inde duxere nefas poetae.

Quid quod Flaccus duobus in versibus tertio pedi admisit verbum dactylicum [epist. I, 18, 52. II, 3, 41]?

possis. adde, *virilia* quod speciosius arma
nec *facundia deseret* hunc nec *lucidus ordo*.

Ita etiam bis Lucretius, sed nemo inter aequales Horatio, nedum posteros.

Praeterea in fine versus cum minus probetur inveniri verbum aut monosyllabum praecedente plus

quam monosyllabo aut tetrasyllabum verbum seu pentasyllabum ut puta sic

aut alius casus lecto te adfixit. habes *qui*
hic dabat, heredes monumentum ne *sequeretur*
ambubaiarum collegia, *pharmacopolae*,

Horatius non magis quam Lucilius et Lucretius eam fugit offensionem, fugerunt Vergilius et magis Ovidius. Nec illud bonis probatur poetis, si quinta thesis vocabulo constet disyllabo aut binis dispescatur verbis praecedere plus quam monosyllabum ad hunc modum

demoveat *lucro* neque *hiems ignis mare ferrum*
qui stupet in *titulis et imaginibus. quod oportet*.

Videnda, quae d. r. m. pgg. 218—222 disseruimus.

Spondiazontes semper tetrasyllabo verbo clausit Flaccus [d. r. m. 222—224].

III. Si exiret verbum in vocalem sive m consonam sequente vocali vel h littera, proprium fuit veterum Romanorum obscurari praecedentis vocis finem pronuntiando nec vim retinere in metro. Eam minus recte vocant elisionem. Itaque in versu ut puta Maronis tali

littora. multum ille et terris iactatus et alto
ad pedes conficiendos haec tantum pertinent
littora. mult ill et terris iactatus et alto.

Ceterum ut iam indicavi minime evenit, tali conditione ut prior vocalis omnino eximeretur dicendo (quam tamen amisisse videntur que ve ne particulae), sed ut imminuta quadamtenus coiret cum insequenti.

Facillima est elisio in finali brevi e vel i, non perinde probatur in a, o; ac minus etiam in eis syllabis quae m littera finiuntur. Plurimum offensionis habent longae vocales elisae. Praeterea magis placet elisionem illam, sive synizesin dicere mavis, fieri sequente longa quam brevi.

Cum proprius fuisset ab antiquissima inde aetate linguae latinae modulus quem dixi iungendi inter se vocales, non erit mirum scaenicos Romanorum poetarum, ut qui vulgari potissimum accommodarent versus

pronuntiationi, vehementer delectatos esse elisione, cuius apud Plautum haud ita raro quinque sive sex vel etiam plura exempla reppereris singulis metris, velut in hisce:

atque eadem erit, verum alia esse adsimulabitur,
atque istam ego agrum tibi relinqui ob eam rem iam
enixe expeto.

Contra dactylici ab Ennio inde, qui primus Latio intulit versum heroicum, modum quendam et delectum adhibere elisioni. Fatendum tamen satiricos, ut quorum materia proxime accederet ad comicorum, magis multo usos elisione quam ceteros poetas. Itaque Horatius in libris sermonum et epistularum saepius longe copulavit vocales inter se quam aut Vergilius cum Nasone in simili metro aut ipse in iambicis ac melicis.

Notandum tamen numquam apud dactylicos inveniri iambicas voces elisas sequente syllaba brevi vel acuta sive circumflexa, nulli ut sint versus ut puta tales:

sed loci obest illis natura animantibus ipsa,
stat Venus ultori iuncta viro ante fores.

Praeterea non licet in versibus praeter scaenicos elidi monosyllaba longa vel in m ex-euntia sequente brevi, nisi quae sint aut indeclinabilia aut a sueto modulo flexionis latinae aliena ut puta 'si' 'ni' 'me' 'te' 'se' 'mi' pro mihi 'tu' 'qui', singulari numero positum, 'cum' 'tum' 'num' 'iam' 'quam' 'tam' 'sum' (non 'sim'). At reliqua velut 'vi' 're' 'spe' 'quae' 'quo' 'qui' plurali numero 'do' 'sto' 'vim' 'rem' 'spem' 'quem' 'stem' et similia nullo pacto nisi cum hiatu in metrum possunt ire sequente correpta:

quid struit aut qua spe inimica in gente moratur?
credimus an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?
quid servas, quod eam, quid agam? quid id attinet ad te?

Contra elidit longas finales spondiacorum et quod durius est creticorum sequente brevi Flaccus haud ita raro. Omnino inter eos dactylicorum habendus est

qui in hexametris plurimum libertatis permiserint elisioni. Hinc etiam, quod numquam in melicis, saepe in saturis et epistulis evenit, ut elisio admitteretur in prima arsi e. c.:

cum adsectaretur, 'numquid vis?' occupo, at ille.

Eadem saepe optinet in caesuris, quibus sane nusquam officit, et aliquando in thesi ultima. Hexametros qui dicuntur falso hypermetros ortos illos Alexandrinorum curis ex ridicula Homericorum versuum imitatione [d. r. m. 294] Horatius in sermonibus admisit, numquam postea, et quidem bis, non saepius [I, 4, 96. 6, 102]:

me Capitolinus convictore usus amicoque
a puerost.
et comes alter uti non solus rusve peregreve
exirem.

Iam cum potissima simus persecuti quibus hexametri Horatiani a Vergilii et Ovidii differunt, addemus quaedam artis praecepta ad iambica et melica Flacci non minus quam ad satiras et epistulas quae pertineant.

I. Itaque haud raro Vergilii exemplo admittit Flaccus ut incidat caesura in praepositionem sive conjunctionem monosyllabam ut puta:

in rebus . illum ex | moenibus hosticis
vocibus regnum et | diadema tutum
nil interest an | pauper et infima.

Idem et in fine metri evenit. Ceterum mitigatur et haec et quam modo memoravi inelegantia addita, quod saepius accidit, elisione velut:

vel dic, quid referat intra
naturae fines viventi, iugera centum an
mille aret
o quae beatam dira tenes Cyprum et
Memphin.
pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos.
plena miraris peritusque carbo in
cespite vivo.

Talia autem vitavit omnino in canticis Seneca. Ho-

ratius quod admisit in melicis, synaphiae, qua possunt lyricorum systematum coire versus, libertate excusatur. Neque enim in epodorum fine similia sibi permisit. Ceterum videnda quae diximus d. r. m. 238.

Idem in satiris et epistulis identidem interpungit graviter post arsin sextam:

scitari libet ex ipso quodcumque refers. *dic*,
ad cenam veniat.

si de quincunee remotast
uncia quid superat? poteras dixisse triens. *eu*.

Talia ab aequalibus Horatii poetis nec minus ab eis qui proximo vixere saeculo omnino sunt aliena, excepto quod satirica licentia fretus similia quaedam admisit Iuvenalis, non Persius [cf. d. r. m. 232].

Nec probatur bonis poetis optinente penthemimeri sive hephthemimeri incidi sensum in secundo sive tertio trochaeo aut in fine thesis sequentis velut ita:

proximus esse. *velis* | tantummodo, quae tu virtus.
m:le salsus

ridens dissimulare. *meum* | iecur urere bilis.
hoc primum *repetas* | *opus*, hoc postremus omittas.

bona pars non unguis ponere curat,
non barbam, secreta *petit* | *loca*, balnea vitat.

Ita in sapphico hendecasyllabo.

vivitur parvo bene, cui paternum.

II. Hiatus rarissimus apud Flaccum sicut apud aequales excepto Marone et apud posteriores, nec usquam praeter unum versum in iambicis [ep. 5, 100] extra metra dactylica. Observavi in thesi exempla haec [sat. 1, 9, 38. II, 2, 28. epist. II, 3, 65]:

si *mē* amas, inquit, paullum hic ades. inteream si.
quam laudas pluma. cocto *nūm* adest honor idem.
regis opus sterilisque palus *diū* aptaque remis;

et in arsi accedente incisione trithemimeri [ep. 13, 3]:

Threiciō Aquilone sonant. rapiamus, amice;

Ita in tertia arsi tetr. dactylici, modo sit verum [1, 28, 24]:

ossibus et *capiti* inhumato.

Denique dignum memoria interiectiones o et heu non magis elidi quam reliquas, sed illam quavis vocali insequente, hanc subiuncto verbo eodem manere longam e. gr.

o et praesidium et dulce decus meum.

o ego non felix quem tu fugis ut pavet acres.

heu heu quantus equis quantus adest viris.

III. Synzesis licentia pro Lucilii exemplo maior in hexametris quam in iambicis ac melicis, in quibus paucissimis exceptis ut puta 'consilium' 'principium' trisyllabis et disyllabo 'Pompei' nihil fere eius rei admisit Flaccus nisi quod communis pronuntiationis usu esset receptum et ipsius tempore et insequente ad tertium usque p. Chr. n. saeculum.

Hoc loco addenda observatio cognitu longe dignissima, numquam admitti in metro iambico sive trochaico latino synzesisin eam quae fit i vel u mutata in consonam extra disyllaba nec magis graecanicam circa finem nominum in eus, ea, eum exeuntium ut puta *Peleo alvei aurea*. Eam in dactylico numero primus adhibuit Catullus [d. r. m. 275].

Ceterum in fine operae potissima synzesis apud Horatium exempla ponemus.

III. Brevem vocalem in medio vocabulo positam sequentibus duabus consonis, ad unam eandemque syllabam quae pertineant, produci fere constat; quae tamen si sint muta cum liquida, pro arbitrio poetarum modo corripitur illam modo porrigi permittitur ut puta

et primo similis volūcri, mox vera volūcris.

et Lycum nigris oculis nigroque.

Numquam tamen breviantur apud classicos (sed enim de dactylicis loquimur solis) vocales quibus sint additae 'bl gl gn'. Ceterum cf. d. r. m. 314 sqq.

At in ultimo verbo locatam vocalem sequi verbum ab s impura sive x seu z vel gn incipiens non licet

nisi quando nihil interest, longane an brevi in metro utare syllaba, velut in tertio pede trimetri:

levare *tenta* spiritu praecordia.

Nam perinde inprobatur bonis poetis tali condicione sive corripi brevem sive produci [cf. d. r. m. 316—321]. Et hoc quidem numquam admisit Horatius, illud aliquando sed in sermonibus tantum e. c. his versibus [I, 10, 72 II, 5, 28]

saepè stilum veritas, iterum quae digna legi sint
vivet uter locuples *sinè* gnatis, improbus, ultro.

V. Productiones brevium in consonas exentium adhibuit idem sed rarissime nec nisi aut legitima addita caesura hoc est penthemimeri sive hephthemimeri, aut sequente vocabulo Graeco ut puta [serm. II, 3, 1. ib. 260. c. II, 6, 14. III, 16, 26]

si raro *scribitis*, | ut toto non quater anno
exclusus qui distat, *agit* | ubi secum eat an non.
angulus *ridet* | ubi non Hymetto.
quam si quidquid *arat* | inpiger Apulus.
perrupit Acheronta Herculeus labor.
si *figit adamantinos*.

Fatendum tamen Flaccum ea licentia uti rarissime, hoc est sexies in hexametris, quinquies in melicis numeris [d. r. m. 331], numquam in epodis. Nec reliqui poetae classici a Catullo inde praeter Maronem usquam admittunt productam finalem in consonam exeuntem (nam vocalem solam porrigi paene inauditum) nisi condicionibus sub isdem.

Denique monendum asynartetos versus, prioris metri finis si cadat in arsin ut in ep. 11, 13, frui licentia finiti numeri hoc est et ancipiti ultima et neglecto hiatu:

arguit et *laterè* | petitus imo spiritus.
vincere *mollitie* | amor Lycisci me tenet.

De iambicis ac melicis metris Horatii.

De auctoribus metrorum quos in epodis et carminibus adhibuit Flaccus ipse plenissime exposuit in epistula quadam ad Maecenatem [I, 19, 23 sqq.]:

Parios ego primus iambos
ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.
ac ne me foliis ideo brevioribus ornes,
quod timui mutare modos et carminis artem:
temperat Archilochi Musam pede mascula Sappho,
temperat Alcaeus, sed rebus et ordine dispar,
nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris,
nec sponsae laqueum famoso carmine nectit.
hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
volgavi fidicen.

In his quod paenultimo versu legitur 'hunc' ad Alcaeam, non ad Archilochum pertinere verissime monuit Bentleius. Praeterea illud 'temperat' diu meditatus non alio fere modo atque idem censuit posse accipi persuasum habeo, ut sit dictum similiter atque in epodis 'desiderique temperare pocula'. Itaque hoc sibi vult Flaccus miscuisse propriis Aeolensium metris Archilochi Ionica Sapphonem et Alcaeam, de qua re et aliunde constat. Denique quod idem asseverat timuisse se carminis Parii modos et artem immutare, equidem haud sane urgendum esse censeo. Ipse quippe paullo ante imitatorum servum genus quo par erat irrisit ludibrio.

Ceterum quod idem asserit a se Archilochi iambos translatos in Latium, ita intellegendum est ut dicamus eum primum epodis iuncta carmina iambica aptasse linguae patriae. Etenim cantores Euphotionis quos dicit Tullius ut puta Catullus, Laevius alii longe ante ipsum Alexandrinos potissimum secuti poetas trimetros et dimetros exclusa scaenicorum licentia adhibuere. Quorum equidem de arte remisisse aliquid videtur Flaccus. Certe Catulli in versibus rarius occurrit soluta arsis quam apud Horatium: saepius eadem licentia apud Laevium invenitur qui et anapaestum in prima et paenultima sede metri pro spondeo adhibuit [d. r. m. 77. 78].

Aeolensium poetarum ad numeros primus carmina aptavit Catullus, sed ut intra Sapphonis imitationem subsisteret. Vnde recte rem instituere docti quod eius

poema xxx binorum versuum systematis distinxerunt. Nam tali metro totum librum tertium Sapphonis dispositum fuisse a grammaticis Alexandrinis sat constat.

Sed Horatius, mihi quidem ut videtur, quotquot intulit lyrica metra Latio, Alcaei potissimum imitatione novavit, ut Sapphonis exemplum vel Anacreontis non ultra flosculos hic illic ex carminibus eorum excerptos repraesentari ab eo persuasum habeam. Nec abhorret a vero quaedam novata ab ipso, cum praesertim magna eum libertate in singulis versibus popularium ingenio aptandis usum esse appareat. De qua re iam cum cura videndum.

Itaque cum Graeci lyrici in basi versuum glyconeorum pherecrateorum asclepiadeorum cum trochaeo principali promiscue adhibuissent et spondeum et aliquando iambum et voluissent primam et quintam syllabam alcaicorum quartamque sapphicorum accipitem sive ut veteres dixere communem, Flaccus omnia firmata spondeis sub severiorem legem revocavit. Praeterea cum idem caesuras, quas longioribus addi metris interest elegantiae, saepe habuissent insuper, Horatius versibus undecim syllabarum sive plurium, a paucissimis et vix dignis memoria exemplis si recesseris, semper voluit adesse incisionem fixam certamque. Rhythmos etiam pedum ante fines ordinis metrici hoc est sive ante caesuram sive in exitu metri positorum diligentius servavit Graecis, at liberius Seneca et reliquis classicorum qui tempore eum sunt insecuti. Neque enim nimis raro locis quos dixi monosyllaba praecedentibus plus quam monosyllabis admittit.

Iam priusquam singula persequamur, de elisione qualis in melicis eiusdem obtinet pauca monenda.

Ac primum quidem ut iam supra pg. LX monuimus longe rarius et maiore multo cum

cautione in melicis pariter atque in iambicis adhibet Flaccus elisiones quam in saturis et epistulis. Itaque nulla elisio creticorum in brevi, nec nisi quater spondiacorum in eadem [c. III, 4, 17, 31; 5, 21; 27, 22]. Videndae de his exemplis siqui volent rimari subtilius Maurici Hauptii observationes criticae pg. 18. 19. Elisio iambicorum rarissima. Nam III, 21, 12 posuimus potius librorum non spernendorum auctoritate nisi 'saepe mero caluisse virtus', quam quod plerique 'incaluisse' [cf. et Lachm. c. in Lucr. pg. 199]. Habes tamen II, 4, 19 'sic lucro-aversam potuisse nasci', et III, 23, 20 'farre pio et saliente mica'. Item rarissime elisa dactylica in m exeuntia sequente brevi ut 'principum' II, 1, 4 'principum amicitias et arma'. Quantam autem in iambicis et lyricis habuerit iungendarum vocalium curam Horatius vel inde apparet quod in quarto carminum libro ut iam antea memoravi praeter unum versum non elisit longas. Quo magis debet animadverti, quod et in caesura et in fine versuum melicorum saepius admisit licentiam illam ut puta

o decus Phoebi et dapibus supremis.
sentiant motus orientis austri et.
pestemque a populo et principe Caesare in-
vitabit Libitinam: usque ego postera.
fortuna saevo laeta negotio et.

Talia equidem numquam evenere epodorum in exitu. Et omnino in iambis maiore circa elisiones utitur cautione quam in prioribus tribus libris melicorum. In his quod quaedam sibi indulsit minus suavia, ex parte excusatur novitate metrorum primum ab ipso adhibitorum sed magis natura eorum, quae systematis quaternorum versuum cum contineantur nunc eadem licentia, qua numeri per se stantes, fruuntur hoc est in fine syllaba ancipiti quam dicunt et excluso, si proxima a vocali incipiant, hiatu, nunc synaphiae lege sicut anaepaesti tenentur ut nec elisiones nec divisa per duo versus verba habere videantur offensionem. Hinc non

est mirum praeter exempla supra memorata reperiri apud Flaccum quamquam pauca numero haec [c. III, 1, 35; II, 3, 28; ib. 16, 34; c. saec. 47; cf. et II, 2, 18; III, 29, 35; III, 2, 22, 23]:

cur facunda parum *decoro*
inter verba cadit lingua silentio.
sors exitura et nos in *aeternum*
exilium inpositura cymbae.
mugiant vaccae tibi tollit *hinnitum*
apla quadrigis equa, te bis Afro.
Romulae genti date remque *prolemque*
et decus omne.

Sed etiam talia evenere [c. I, 2, 19; I, 25, 11; II, 16, 7; III, 27, 27]

labitur ripa Iove non probante *u-*
xorius amnis.
thracio bacchante magis sub *inter-*
lunia vento.
Grosche non gemmis neque purpura *ve-*
nale neque auro.
pendulum zona bene te secuta *e-*
lidere collum.

Sed vix est quod moneam a fine strophae licentias quas modo memoravimus omnes esse alienas [cf. Bentr. ad II, 13, 8], nec minus ab exitu asynartetorum prioris partis.

Haec autem ac talia quae synaphiae iure provenissent cum ipsa synaphia omisere insequentes. Vnde elisionem in fine metri nullam apud Senecam reperias, nec discerptas binis numeris voces praeter paucissima exempla canticorum liberius habitum in Oedipo et Agamemnone [d. r. m. 118. 122. 296. 297]. Quid quod tragicus saepius mihi memoratus omnino in melicis non nisi bis terve longas elisit finales nec minus fere a caesuris quam ab exitu metrorum coeuntes abesse voluit vocales?

His expositis nihil obstat, quin singulos enumeremus versus. Incipiemus autem a dactylicis numeris, mox iambicos (nam anapaestici apud Flaccum nulli) et trochaicos, tum ionicos, postremo logaedicos persecuturi.

A.

II. Tetrameter dactylicus.

⏏ ⏏ ⏏ ⏏ | ⏏ ⏏ ⏏
solvitur acris hiems grata vice.

Hic non invenitur nisi pro parte versus archilochii maioris. Caesura penthemimeres.

III. Tetrameter dact. catalecticus in dissyllabum.

⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏ | ⏏ ⏏
munera nec quicquam tibi prodest.

Semel [I, 28, 2] in nomine proprio tertius dactylus cessit spondeo:

mensorem cohibent *Archyta*.

Caesura legitima nulla, sed plerumque in tertia arsi vel trochaeo tertio finitur verbum.

III. Trimeter dact. catal. in syllabam archilochius minor).

⏏ ⏏ ⏏ ⏏ ⏏
Arboribusque comae.

Ab hoc metro exulat spondeus.

V. Dimeter dact. cat. in dis. sive ut vulgo vocant versus adonius:

⏏ ⏏ ⏏ ⏏
terrui urbem.

Dactylum spondeo cedere nefas.

B.

Iambi et trochaei, ad quos iam transimus, solent scandi per dipodias, ut in primo quoque pede atque ita in ceteris imparibus potior vis rhythmici consistat.

VI. Trimeter iambicus purus.

⏏ ⏏ ⏏ | ⏏ ⏏ ⏏
suis et ipsa | Roma viribus ruit.

Ab hoc metro, quo etiam Catullus, Vergilius, Tibullus et priapei cuiusdam auctor anonymus usi (apud

Graecos non iam extat), soluta arsis non minus quam spondeus est aliena. Semel Hor. pro penthemimeri hephthemimerin admisit ita:

minacis aut | Etrusca | Porsenae manus.

Praeterea tmesis facta in v. hoc:

parentibusque ab|ominatus Hannibal.

Dixi de ea re libri nostri pg. 369. 370.

VII. Trimeter iambicus impurus:

(^u) u u u u | u u u u (^u) u u

u u u u | u u u u u u u u

ibis Liburnis | inter alta navium

non Afra avis | descendat | in ventrem meum.

Anapaesto in primo pede ter utitur Flaccus ep. 2, 35; 65; 5, 79, in paenultimo bis 2, 35; 11, 23. Proceleusmaticus non invenitur.

Soluta arsis exulat a pede quinto. In ceteris non nimis raro reperitur, sed ut contineatur verbis plus quam disyllabis, exceptis in dactylum exeuntibus et paenultima ultimaque parte eorum quae tribracho clauduntur. Itaque nullos habes apud Flaccum trimetros ut puta talis:

robóra minacem quae figurarent equum

génera deorum multa nec pueri putant.

Disyllaba praeter primum pedem non nisi bis solutam arsin efficiunt ep. 2, 23; 5, 87. Quae exempla qua excusatione nitantur viderint qui volent in libro nostro pg. 156. Male Bentr. xvii, 33 'furens in Aetna flamma. tua donec cinis'.

Caesura ut in versu heroico longe praevallet penthemimeres. Ea fit bis cum tmesi [ep. 1, 19; 11, 15]:

ut adsidens in|plumibus pullis avis

quodsi meis in|aestuet praecordiis.

Hepthemimerim non adhibet Flaccus nisi ut aut post thesin tertiam aut post alteram arsin finiatur verbum:

quid dixit aut quid | tacuit? | o rebus meis.

quid attinet | tot ora | navium gravi.

Itaque ter tmesis instituenda [2, 19. 5, 45. 17, 38]:

ut gaudet in|sitiva | decerpens pyra

quae sidera ex|cantata | voce Thessala.

paratus ex|piare | seu poposceris.

Praeterea observavit Meinekius in ep. xvii Flaccum Archilochi exemplo et tragicorum Graecorum permotum diligenter cavisse ne quarta arsis et thesis quinta vocabulo in spondeum exeunte continerentur.

VIII. Trimeter iambicus catalecticus.

u u u u | u u u u u

trahuntque siccas machinae carinas.

Anapaesto et hephthemimeri in hoc metro Flaccus non utitur. Semel soluta arsis, si modo recte res habet, II, 18, 34. Videnda quae ad hunc locum in praef. monuimus.

VIII. Dimeter iambicus hypercatalectus sive alcaicum enneasyllabum dixeris.

(^u) u u u u u u u u u

silvae laborantes geluque.

In quarto libro semper longa est prima (ut et apud Statium), quae alibi plerumque. Praeterea observavit Lachmannus [in epist. ad C. Frankium pg. 239. 238] non nisi semel [I, 26, 11] alterum iambum effici verbo in iambum exeunte:

hunc Lesbio sacrare plectro;

nec praeter quosdam versus lib. I et II syllabam quartam et quintam contineri vocabulo in spondeum desinente nisi sequente monosyllabo ut puta:

quanta laboras in Charybdi.

X. Dimeter iambicus.

u u u u u u u u

amicæ propugnacula.

Semel soluta prima arsis ep. 15, 24 'ast ego vicissim risero'; atque ita secunda 2, 62. Vide quae in praef. notavimus ad c. II, 18, 34.

C.

XI. Dimeter trochaicus catalecticus (alcaicus).

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

non ebur neque aureum.

Spondeo adesse non licet: et secutus Flaccum Prudentius.

XII. Dimeter trochaicus brachycatalectus (versus ithyphallicus).

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

veris et Favoni.

Hic non proprio metro sed tantum in clausula versus archilochii maioris habetur. Opportune addemus iam versus hosce:

XIII. Metrum elegiambicum.

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ | ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

scribere versiculos amore percussum gravi.

Constat trimetro dactylico catalectico in syllabam [III] et dimetro iambico [x].

XIII. Metrum iambelegicum.

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ | ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

nivesque deducunt Iovem. nunc mare nunc siluae.

Continetur isdem quibus praecedens partibus sed ordine inmutato. Refert Atilius pg. 2684 inventum illud ab Horatio; quod si vere adfirmavit habet cur laetetur Flaccus; nam et est longe suavissimum.

XV. Versus archilochius maior.

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ | ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni.

Et hic est e genere asynartetorum. Constat autem ex tetrametro dactylico [II] et dimetro trochaico brachycatalecto [XII].

In hoc metro Prudentius qui paene solus adhibuit post Flaccum eo diligentiae est progressus [peristeph. XII. XIII], ut hanc semper eius speciem esse voluerit

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

sed enim non ubique servatis incisionibus.

D.

XVI. Ionici a minori puri sive ob difficultatem moduli sive quod molliores videntur rarissime sunt adhibiti a Romanis [d. r. m. 110]. Nec nisi semel Horatius qui primus novavit eos admisit; habent autem hanc speciem:

⋮ | ⋮ |
⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

miserarumst neque amori dare ludum neque dulci | mala vino lavere aut exanimari metuentes | patriae verbera linguae.

Videnda quae in praef. annotavimus ad III, 12; quaeque mox dicemus de systemate ionico.

E.

XVII. Versus pherecrateus.

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

grato Pyrrha sub antro.

XVIII. V. glyconeus.

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

Videnda quae notavimus ad I, 15, 36.

Hoc metrum et pherecrateum Catullus incertum Anacreontis auctoritate ductus an Sapphonis adhibuit in c. 34 et 61 per systemata cum synaphia.

XVIII. V. asclepiadeus minor.

⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮ ⋮

Maecenas atavis edite regibus.

In hoc versu Flaccus non nimis raro dactylum primum violato caesurae rhythmo constare patitur verbo in dactylum exeunte ut puta

nos convivia, nos proelia virginum.

Magis etiam inelegans versus clausula velut haec:
audivere, Lyce, di mea vota, di.

Talia non inveneris apud Senecam.

Caesura semper locatur post syllabam VI, nam
v. 17 c. VIII l. III est spurius. Tmesis admissa in II,
12, 25:

dum flagrantia de|torquet ad oscula.

XX. V. asclep. maior.

1 1 1 0 0 1 | 1 0 0 1 | 1 0 0 1 0 0

tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi.

Incisiones post sextam et decimam syllabam semper
observantur ab Horatio ac Terentiano et Prudentio
praeter unum versum [praef. 6], non perinde a Catullo.
Semel fit tmesis I, 18, 16:

arcanique fides prodiga per|ucidior vitro.

Ceterum hoc metrum rarissimum fuit apud Romanos.

XXI. Versus hendecasyllabus alcaicus.

0 1 0 1 1 | 1 0 0 1 0 0

odi profanum volgus et arceo

Anacrusis in quarto libro semper longa (ut apud Statium
et Prudentium), et plerumque in reliquis. Nec minus
quinta syllaba semper producta apud Flaccum Statium
Claudianum Prudentium. Nam III, 5, 17 Bentleium
secuti edidimus 'si non perirent in miserabiles'.

Caesura semper post illam de qua modo dixi
syllabam exceptis versibus binis qui iniectionibus
propriis excusantur [I, 37, 14; III, 14, 17]:

mentemque *lymphatam Mareotico.*

spectandus in *certamine Martio.*

Ter habes tmesin [I, 16, 21; I, 37, 5; II, 17, 21] ut puta:
utrumque nostrum in|credibili modo.

XXII. Versus alcaicus decasyllabus.

1 0 0 1 0 0 1 0 1 0

Flumina constiterint acuto.

De alc. enneasyllabo dixi sub VIII.

XXIII. Versus sapphicus minor.

1 0 1 1 1 | 0 0 1 0 1 0

1 0 1 1 1 | 0 0 1 0 1 0

iam satis terris nivis atque dirae.
Mercuri facunde nepos Atlantis.

Hic hendecasyllabus, quem primus adhibuit Catullus,
vix minus placuit Romanis quam phalaecius ille 'cui
dono lepidum novum libellum', quo primi usi cantores
Euphorionis.

Nota quod numquam apud F. et insequentes spon-
deus prior vocabulo constat in spondeum exeunte.

Caesuram in prioribus tribus libris raro,
aliquanto saepius in quarto et in carmine
saeculari post sextam syllabam collocavit
Flaccus. Sed insequentium temporum poe-
tae unice admisere illam quae post tertiam
arsin incidit:

quae vocat sedes | habitanda captas?

Catullus et caesuram neglegit aliquando et pro spon-
deo altero collocat trochaeum, sed utrumque raro:

Gallicum *Rhenum horribilem* salum ulti-
mosque Britannos.

pauca *nuntiate* meae puellae.

XXIII. Versus aristophanias.

1 0 0 1 0 1 0

Lydia dic per omnes.

Hic oritur, si primam v. sapphici dipodiam omiseris.
Vsi eo praeter comicum a quo nomen traxit et Sappho
et Anacreon [Atil. II pg. 359 G.]. Sapphici minoris
partem priorem omisso ultimo amphibracho si iunxeris
metro de quo agitur oritur:

**XXV. Versus sapphicus maior, quem
vulgo dicunt.**

1 0 1 1 1 | 0 0 1 | 1 0 0 1 0 1 0

te deos oro Sybarin cur properes amando.

Est hic ex genere asynartetorum; et habet praeterea

ut minor incisionem post arsin tertiam. Apud Graecos exemplum non inveneris, sed extitisse idem apud Aeolis, sicut visum Benteio, non abhorret a probabilitate. Praeterea legenda, s. pl., de hoc numero et de praecedente quae diximus d. r. m. 113.

Ceterum omnia metra Horatiana praeter iambos pueros saeculo quarto vel quinto incertus quidam grammaticus adhibuit carmini minime ineleganti de Pasiphae, quod alii alibi, nos in codice Vossiano saeculi x invenimus [M. L. Q. 33]. Qui tamen minus recte expressit exemplum Horatii versibus his trochaicis et ionicis 'optat in formam bovis' 'et amoris pudibundi malesuadis'; satis ut vides diversis ab eis quos probavit ille. Praeterea admissio in alcaicum enneasyllabum vocabulo cretico ita 'et Proetidas dicit beatas' unum eiusdem similis condicionis numerum [I, 26, 11] quam tot diversae sequi maluit.

III.

De systematis versuum iambicorum et melicorum.

Epodi praeter septimum decimum omnes constant systematis versuum binorum; nam ultimus strophica arte carens sicut Simonidis carmen in feminas repetitis usque trimetris iambicis [v. s. nr. VII] constat.

Lyrica autem exemplo, ut putat Lachmannus, Alcaei, quaternorum versuum continentur systematis: nam quod solum huic legi adversatur carmen III, 8, id vero interpolatorum libidine corruptelas traxit gravissimas.

Sed iam singula videamus. Ceterum ut ad finem operis perveniamus, diversorum quibus constant systemata illa metrorum brevissimas simplicissimasque describemus species, cum reliqua facili opera peti possint ex prioribus.

I. Systema Asclepiadeum primum:

$\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$

Constat v. ascl. minore [xviii] usque repetito. Invenitur i, 1. III, 30. III, 8.

II. Syst. Asclep. secundum:

$\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$

Const. v. ascl. min. et glyconeo [xviii]. Inv. i, 6. 15. 24. 33. II, 12. III, 10. 16. III, 5. 12.

III. Syst. Asclep. tertium:

$\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$

Const. v. glyconeo [xviii] et ascl. min. Inv. i, 3. 13. 19. 36. III, 9. 15. 19. 24. 25. 28. III, 1. 3.

III. Syst. Ascl. quartum:

$\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$

Const. v. ascl. min. et pherecrateo [xvi] et glyconeo. Inv. i, 5. 14. 21. 23. III, 7. 13. III, 13.

V. Syst. Asclep. quintum:

$\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$

Const. ascl. maiore [xx]. Inv. i, 11. 18. III, 10.

VI. Systema Sapphicum prius:

$\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$
 $\bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup} \bar{\cup}$

Const. v. sapphico minore [xxiii] et adonio [v]. Inv. I, 2. 10. 12. 20. 22. 25. 30. 32. 38. II, 2. 4. 6. 8. 10. 16. III, 8. 11. 14. 18. 20. 22. 27. III, 2. 6. 11. *carmin. saec.*

VII. Syst. Sapph. alterum:

1 0 0 1 0 1 0
 1 0 1 1 1 | 0 0 1 | 1 0 0 1 0 1 0
 1 0 0 1 0 1 0
 1 0 1 1 1 | 0 0 1 | 1 0 0 1 0 1 0

Const. v. aristophanio [xxiiii] et sapph. maiore [xxv]. Inv. I, 8.

VIII. Systema Alcaicum:

(v) 1 0 1 1 | 1 0 0 1 0 0
 (v) 1 0 1 1 | 1 0 0 1 0 0
 (v) 1 0 1 1 0 1 0
 1 0 0 1 0 0 1 0 1 0

Const. v. alcaicis hendecasyllabo [xxi] et enneasyllabo [viii] et decasyllabo [xxii]. Hoc frequentissimo omnium usus est Flaccus ut puta I, 9. 16. 17. 26. 27. 29. 31. 34. 35. 37. II, 1. 3. 5. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 17. 19. 20. III, 1—6. 17. 21. 23. 26. 29. III, 4. 9. 14. 15.

VIII. Systema Hipponacteum:

1 0 1 0 1 0 0
 0 1 0 1 0 | 1 0 1 0 1 0
 1 0 1 0 1 0 0
 0 1 0 1 0 | 1 0 1 0 1 0

Constat dimetro trochaico catal. [xi] et iambico trimetro catal. [viii]. Inv. II, 18.

X. Systema ionicum:

0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 | 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 |
 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 | 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 |
 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 | 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 |
 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 | 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 |
 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 | 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 0 0 1 1 |

Constant singuli versus denis ionicis a minori [xvi]; de qua re supra diximus.

Notandum quod unum hoc systema apud Flaccum continua decurrit synaphia. Inv. III, 12.

XI. Systema Alemanium:

a) melicorum

1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0

b) iambicorum

1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0

Constat v. heroico [i] et Alemanio [iii]. Inv. c. I, 7. 28; ep. 12.

XII. Systema Archilochium primum:

1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 1 0 1 0 1 0 1

Const. v. her. et trimetro dactylico catal. [iiii]. Inv. III, 7.

XIII. Syst. Archil. secundum:

1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 0 1 0 1 0 1 0 | 1 0 1 0 1 0 1

Const. v. heroico et iambelegico [xiiii]. Inv. ep. 13.

XIII. Syst. Archil. tertium:

0 0 1 0 1 0 1 | 1 0 1 0 1 0 1
 1 0 1 0 1 0 1 | 0 1 0 1 0 1 0 1

Const. trimetro iambico [vii] et v. elegiambico [xiii]. Inv. ep. 11.

XV. Syst. Archil. quartum:

1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 0 1 0 1 0 1 0 | 1 0 1 0 1 0 1
 1 0 1 0 1 0 1 | 0 0 1 0 1 0 1 0 1 0
 0 1 0 1 0 1 0 | 1 0 1 0 1 0 1

Const. v. Archilochio maiore [xv] et trimetro catalectico. Inv. I, 4.

XVI. Systema pythiambicum prius:

⊥ ⊖ ⊥ ⊖ ⊥ | ⊖ ⊥ ⊖ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥
 ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥

Hoc a pythio id est heroico et iambico v. nomen traxit.
 Constat hex. dact. et dim. iambico [x]. Inv. ep. 14. 15.

XVII. Syst. pyth. alterum:

⊥ ⊖ ⊥ ⊖ ⊥ | ⊖ ⊥ ⊖ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥
 ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ | ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥

Const. v. heroico et trimetris puris [vi]. Inv. ep. xvi.

XVIII. Systema iambicum:

⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ | ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥
 ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥

Const. trim. iamb. et dimetro. Inv. ep. 1-10.

Denique memorandum ultimum carmen
 epodorum, quod ut dixi systemate carens
 continuis decurrit trimetris:

⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ | ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥ ⊥.

Q. HOARTII FLACCI

C A R M I N V M

LIBER PRIMVS.

I.

Maecenas atavis edite regibus,
 O et praesidium et dulce decus meum,
 Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
 Collegisse iuvat, metaque fervidis

Evitata rotis palmaque nobilis
 Terrarum dominos evehit ad deos;
 Hunc, si mobilium turba Quiritium
 Certat tergemini tollere honoribus;

Illum, si proprio condidit horreo,
 Quidquid de Libycis verritur areis.
 Gaudentem patrios findere sarculo
 Agros Attalicis condicionibus

Numquam dimoveas, ut trabe Cypria
 Myrtoum pavidus nauta secet mare.
 Luctantem Icaris fluctibus Africum
 Mercator metuens, otium et oppidi

Laudat rura sui; mox reficit rates
 Quassas, indocilis pauperiem pati.
 Est qui nec veteris pocula Massici
 Nec partem solido demere de die

Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
 Stratus nunc ad aquae lene caput sacrae.
 Multos castra iuvant et lituo tubae
 Permixtus sonitus bellaque matribus

- 25 Detestata. Manet sub Iove frigido
 Venator tenerae coniugis inmemor,
 Seu visast catulis cerva fidelibus,
 Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
- Me doctarum hederæ præmia frontium
 30 Dis miscent superis, me gelidum nemus
 Nympharumque leves cum Satyris chori
 Secernunt populo, si neque tibiae
- Euterpe cohibet nec Polyhymnia
 Lesboum refugit tendere barbiton.
 35 Quodsi me lyricis vatibus inseres,
 Sublimi feriam sidera vertice.

II.

- Iam satis terris nivis atque dirae
 Grandinis misit Pater et rubente
 Dextera sacras iaculatus arces
 Terruit Urbem,
- 5 Terruit gentes, grave ne rediret
 Seculum Pyrrhae nova monstra questae,
 Omne cum Proteus pecus egit altos
 Visere montes.
- [Piscium et summa genus haesit ulmo,
 10 Nota quae sedes fuerat columbis,
 Et superiecto pavidæ natarunt
 Aequore dammae.]
- Vidimus flavum Tiberim retortis
 Litore Etrusco violenter undis
 15 Ire deiectum monumenta regis
 Templaque Vestae.
- Iliæ dum se nimium querenti
 Iactat ultorem, vagus et sinistra
 Labitur ripa Iove non probante u-
 20 xorius amnis.

- Audiet cives tacuisse ferrum,
 Quo graves Persae melius perirent,
 Audiet pugnas vitio parentum
 Rara iuventus.
- Quem vocet divum populus ruentis
 25 Imperi rebus? Prece qua fatigent
 Virgines sanctae minus audientem
 Carmina Vestam?
- Cui dabit partes scelus expiandi
 Iuppiter? Tandem venias, precamur,
 30 Nube candentes humeros amictus,
 Augur Apollo;
- Sive tu mavis, Erycina ridens,
 Quam locus circum volat et Cupido;
 Sive neglectum genus et nepotes
 35 Respicias, auctor,
- Heu nimis longo satiate ludo,
 Quem iuvat clamor galeaeque leves
 Acer et Marsi peditis cruentum
 40 Voltus in hostem;
- Sive mutata iuvenem figura
 Ales in terris imitatis, almae
 Filius Maiæ, patiens vocari
 Caesaris ultor:
- Serus in caelum redeas, diuque
 45 Laetus intersis populo Quirini,
 Neve te nostris vitiiis iniquum
 Ocior aura
- Tollat; hic magnos potius triumphos,
 Hic ames dici pater atque princeps,
 50 Neu sinas Medos equitare inultos,
 Te duce, Caesar.

III.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Iapyga,

5 Navis, quae tibi creditum
Debes Vergilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.

Illi robur et aes triplex
10 Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum

Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,
15 Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere volt freta.

Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turbidum et
20 Infames scopulos, Acroceraunia?

Nequiquam deus absceidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen inopiae
Non tangenda rates transiliunt vada.

25 Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.

Post ignem aetheria domo
30 Subductum macies et nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas

Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aera
Pennis non homini datis;
35 Perrupit Acheronta Hercules labor.

Nil mortalibus arduist;
Caelum ipsum petimus stultitia, neque
Per nostrum patimur scelus
40 Iracunda Iovem ponere fulmina.

III.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas,
Ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.

Iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna, 5
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatunt pede, dum graves Cyclopum
Volcanus ardens urit officinas.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
Aut flore terrae quem ferunt solutae; 10
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna sive malit haedo.

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. O beate Sesti,
Vitae summa brevis spes nos vetat incohare longam. 15
Iam te premet nox, fabulaeque Manes,

Et domus exilis Plutonia; quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
20 Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

V.

Quis multa gracilis te puer in rosa
 Perfusus liquidis urget odoribus
 Grato, Pyrrha, sub antro?
 Cui flavam religas comam,

5 Simplex munditiis? Heu quotiens fidem
 Mutatosque deos flebit et aspera
 Nigris aequora ventis
 Emirabitur insolens,

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
 10 Qui semper vacuum, semper amabilem
 Sperat, nescius aurae
 Fallacis. Miseri, quibus

Intemptata nites. Me tabula sacer
 Votiva paries indicat uvida
 15 Suspendisse potenti
 Vestimenta maris deo.

VI.

Scriberis Vario fortis et hostium
 Victor, Maeonii carminis alite,
 Quam rem cumque ferox navibus aut equis
 Miles te duce gesserit.

5 Nos, Agrippa, neque haec dicere nec gravem
 Pelidae stomachum cedere nescii,
 Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
 Nec saevam Pelopis domum

Conamur, tenues grandia, dum pudor
 10 Inbellisque lyrae Musa potens vetat
 Laudes egregii Caesaris et tuas
 Culpa deterere ingeni.

[Quis Martem tunica tectum adamantina
 Digne scripserit, aut pulvere Troico
 Nigrum Merionen, aut ope Palladis
 Tydiden superis parem?] 15

Nos convivias, nos proelia virginum
 Sectis in iuvenes unguibus acrium
 Cantamus, vacui, sive quid urimur,
 Non praeter solitum leves. 20

VII.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
 Aut Epheson, bimarisque Corinthi
 Moenia, vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
 Insignes, aut Thessala Tempe.

Sunt quibus unum opus est, intactae Palladis urbem 5
 Carmine perpetuo celebrare et
 Undique decerptam fronti praeponere olivam.
 Plurimus in Iunonis honore

Aptum dicet equis Argos ditiesque Mycenae.
 Me nec tam patiens Lacedaemon 10
 Nec tam Larisae percussit campus opimae,
 Quam domus Albunae resonantis

Et praecipit Anio ac Tiburni lucus et uda
 Mobilibus pomaria rivis.
 Albus ut obscuro deterget nubila caelo 15
 Saepe Notus, nec parturit imbres

Perpetuo; sic tu sapiens finire memento
 Tristitiam vitaeque labores
 Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
 Castra tenent seu densa tenebit 20

Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
 Cum fugeret, tamen uda Lyaeo
 Tempora populea fertur vinxisse corona,
 Sic tristes adfatus amicos:

25 'Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque!
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro:
Certus enim promisit Apollo,

Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
30 O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas;
Cras ingens iterabimus aequor.'

VIII.

Lydia, dic, per omnes
Te deos oro, Sybarin cur properes amando
Perdere; cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque solis?
5 Cur neque militaris
Inter aequales equitat, Gallica nec lupatis
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? Cur olivum
Sanguine viperino
10 Cautius vitat, neque iam livida gestat armis
Brachia, saepe disco,
Saepe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinae
Filiam dicunt Thetidis sub lacrimosa Troiae
15 Funera, ne virilis
Cultus in caedem et Lycias proriperet catervas?

VIII.

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
Silvae laborantes, geluque
Flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus ligna super foco 5
Large reponens atque benignius
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum diota.

Permitte divis cetera, qui simul
Stravere ventos aequore fervido 10
Deproeliantes, nec cupressi
Nec veteres agitantur orni.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem fors dierum cumque dabit lucro
Adpone, nec dulces amores 15
Sperne puer neque tu choreas,

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
Lenesque sub noctem susurri
Composita repetantur hora, 20

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo,
Pignusque dereptum lacertis
Aut digito male pertinaci.

X.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus et decorae
More palaestrae,

Te canam, magni Iovis et deorum 5
Nuntium curvaeque lyrae parentem,
Callidum, quidquid placuit, iocoso
Condere furto.

Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci 10
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.

Quin et Atridas duce te superbos
 Ilio dives Priamus relicto
 15 Thessalosque ignes et iniqua Troiae
 Castra fefellit.

Tu pias laetis animas reponis
 Sedibus, virgaque levem coherces
 Aurea turbam, superis deorum
 20 Gratus et imis.

XI.

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
 Finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
 Temptaris numeros. Vt melius, quidquid erit, pati,
 Seu plures hiemes seu tribuit Iuppiter ultimam,
 5 Quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
 Tyrrhenum: sapias, vina liques, et spatio brevi
 Spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
 Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.

XII.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
 Tibia sumis celebrare, Clio?
 Quem deum? Cuius recinet iocosa
 Nomen imago
 5 Aut in umbrosis Heliconis oris,
 Aut super Pindo gelidove in Haemo?
 Unde vocalem temere insecutae
 Orphea silvae.
 [Arte materna rapidos morantem
 10 Fluminum lapsus celeresque ventos,
 Blandum et auritas fidibus canoris
 Ducere quercus.]

Quid prius dicam solitis parentis
 Laudibus, qui res hominum ac deorum,
 Qui mare ac terras variisque mundum
 15 Temperat horis?

Unde nil maius generatur ipso,
 Nec viget quicquam simile aut secundum.
 Proximos illi tamen occupavit
 Pallas honores,
 20

Proeliis audax; neque te silebo,
 Liber, et saevis inimica virgo
 Beluis, nec te, metuende certa
 Phoebe sagitta.

Dicam et Alciden puerosque Ladae,
 Hunc equis, illum superare pugnis
 Nobilem; quorum simul alba nautis
 Stella refulsit,
 25

Defuit saxis agitatus humor,
 Concidunt venti fugiuntque nubes,
 Et minax, † cum sic voluere, ponto
 Vnda recumbit.
 30

Romulum post hos prius, an quietum
 Pompili regnum memorem, an superbos
 Tarquini fasces, dubito, an Catonis
 Nobile letum.
 35

[Regulum et Scauros animaeque magnae
 Prodigum Paullum superante Poeno
 Gratus insigni referam camena
 Fabriciumque.
 40

Hunc, et incomptis Curium capillis
 Vtilem bello tulit, et Camillum
 Saeva paupertas et avitus arto
 Cum lare fundus.]

45 Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcellis; micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Gentis humanae pater atque custos,
50 Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,
55 Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,

Te minor latum reget aequus orbem;
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
60 Fulmina lucis.

XIII.

Cum tu, Lydia, Telephi
Cervicem roseam, lactea Telephi
Laudas brachia, vae meum
Fervens difficili bile tumet iecur.

5 Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manet, umor et in genas
Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus.

Vror, seu tibi candidos
10 Turparunt umeros inmodicae mero
Rixae, sive puer furens
Inpressit memorem dente labris notam.

Non, si me satis audias,
Speres perpetuum dulcia barbata
15 Laedentem oscula, quae Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.

Felices ter et amplius,
Quos inrupta tenet copula nec malis
Divolsus querimoniis
Suprema citius solvet amor die. 20

XIII.

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides ut
Nudum remigio latus

Et malus celeri saucius Africo 5
 Hietque turpis inter aridas nates 5
 Podex velut crudae bovis?
 Sed incitat me pectus et mammae putres,
 Equina quales ubera,
 Venterque mollis et femur tumentibus
 Exile suris additum? 10
 Esto beata, funus atque imagines
 Ducant triumphales tuum,

- Nec sit marita, quae rotundioribus
 Onusta bacis ambulet.
 15 Quid quod libelli stoici inter sericos
 Iacere pulvillos amant?
 Inlitterati num magis nervi rigent,
 Minusve languet fascinum?
 Quod ut superbo provoces ab inguine,
 20 Ore adlaborandumst tibi.

VIII.

- Quando repostum Caecubum ad festas dapes,
 Victore laetus Caesare,
 Tecum sub alta — sic Iovi gratum — domo,
 Beate Maecenas, bibam
 5 Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
 Hac Dorium, illis barbarum?
 Vt nuper, actus cum freto Neptunius
 Dux fugit ustis navibus,
 Minatus Vrbi vincla, quae detraxerat
 10 Servis amicus perfidis.
 Romanus, eheu, — posteri negabitis —
 Emancipatus feminae,
 Fert vallum et arma miles et spadonibus
 Servire rugosis potest,
 15 Interque signa turpe militaria
 Sol adspicit conopium.
 Ad hoc frementes verterunt bis mille equos
 Galli, canentes Caesarem,
 Hostiliumque navium portu latent
 20 Puppes sinistrorsum citae.
 Io triumphe, tu moraris aureos
 Currus et intactas boves?
 Io triumphe, nec Iugurthino parem
 Bello reportasti ducem,
 25 Neque Africanum, cui super Carthaginem
 Virtus sepulcrum condidit!

- Terra marique victus hostis punico
 Lugubre mutavit sagum.
 Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
 Ventis iturus non suis, 30
 Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
 Aut fertur incerto mari.
 Capaciores adfer huc, puer, scyphos
 Et Chia vina aut Lesbia,
 35 Vel quod fluentem nauseam coherceat,
 Metire nobis Caecubum.
 Curam metumque Caesaris rerum iuvat
 Dulci Lyaeo solvere.

X.

- Mala soluta navis exit alite,
 Ferens olentem Maevium:
 Vt horridis utrumque verberes latus,
 Auster, memento fluctibus.
 5 Niger rudentes Eurus inverso mari
 Fractosque remos differat;
 Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
 Frangit trementes ilices;
 Nec sidus atra nocte amicum adpareat,
 10 Qua tristis Orion cadit;
 Quietiore nec feratur aequore,
 Quam Graia victorum manus,
 Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
 In inpiam Aiakis ratem.
 15 O quantus instat navitis sudor tuis
 Tibique pallor luteus
 Et illa non virilis eiulatio
 Preces et aversum ad Iovem,
 20 Ionius udo cum remugiens sinus
 Noto carinam ruperit.

Opima quodsi praeda curvo litore
 Porrecta mergos iuveris:
 Libidinosus innolabitur caper
 Et agna Tempestatibus.

XI.

Petti, nihil me sicut antea iuvat
 Scribere versiculos amore percussum gravi,
 Amore, qui me praeter omnes expetit
 Mollibus in pueris aut in puellis urere.
 5 Hic tertius December, ex quo destiti
 Inachia furere, silvis honorem decutit.
 Heu me, per Urbem, nam pudet tanti mali,
 Fabula quanta fui! Conviviorum et paenitet,
 In quis amantem languor et silentium
 10 Arguit et latere petitus imo spiritus.
 'Contrane lucrum nil valere candidum
 Pauperis ingenium!' querebar adplorans tibi,
 Simul calentis inverecundus deus
 Fervidiore mero arcana promorat loco.
 15 'Quod si meis inaestuet praecordiis
 Libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat
 Fomenta vulnus nil malum levantia,
 Desinet imparibus certare submotus pudor.'
 Vbi haec severus te palam laudaveram,
 20 Iussus abire domum, ferebar incerto pede
 Ad non amicos heu mihi postes et heu
 Limina dura quibus lumbos et infregi latus.
 Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
 Vincere mollitiae amor Lycisci me tenet;
 25 Vnde expedire non amicorum queant
 Libera consilia nec contumeliae graves,
 Sed alius ardor aut puellae candidae
 Aut teretis pueri longam renodantis comam.

XII.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
 Munera cur mihi quidve tabellas
 Mittis, nec firmo iuveni nec naris obesae?
 Namque sagacius unus odoror,
 Polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis, 5
 Quam canis acer ubi lateat sus.
 Qui sudor vietis et quam malus undique membris
 Crescit odor, cum pene soluto
 Indomitam properat rabiem sedare, neque illi
 Iam manet umida creta colorque 10
 Stercore fucatus crocodili, iamque subando
 Tenta cubilia tectaque rumpit;
 Vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:
 'Inachia langues minus ac me;
 Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum 15
 Mollis opus. Pereat male, quae te
 Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem,
 Cum mihi Cous adesset Amyntas,
 Cuius in indomito constantior inguine nervus,
 Quam nova collibus arbor inhaeret. 20
 Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae
 Cui properabantur? Tibi nempe,
 Ne foret aequales inter conviva, magis quem
 Diligeret mulier sua quam te.
 O ego non felix, quam tu fugis ut pavet acres 25
 Agna lupos capreaeque leones.'

XIII.

Horrida tempestatas caelum contraxit et imbres
 Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc silvae
 Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amice,
 Occasionem de die, dumque virent genua
 Et decet, obducta solvatur fronte senectus. 5
 Tu vina Torquato move consule pressa meo;

Cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna
 Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenio
 Perfundi nardo iuvat et fide Cyllenea
 10 Levare diris pectora sollicitudinibus,
 Nobilibus ut grandi cecinit Centaurus alumno:
 'Invicte, mortalis dea nate puer Thetide,
 Te manet Assaraci tellus, quam frigida tardi
 Findunt Scamandri flumina lubricus et Simois,
 15 Vnde tibi reditum certo subtemine Parcae
 Rupere, nec mater domum caerulea te revehet.
 Illic omne malum vino cantuque levato,
 Deformis aegrimoniae dulcibus adloquiiis.'

XIII.

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
 Oblivionem sensibus,
 Pocula Lethaeos ut si ducentia somnos
 Arente fauce traxerim,
 5 Candide Maecenas, occidis saepe rogando:
 Deus, deus nam me vetat
 Inceptos, olim promissum carmen, iambos
 Ad umbilicum adducere.
 Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
 10 Anacreonta Teium,
 Qui persaepe cava testudine flevit amorem
 Non elaboratum ad pedem.
 Vreris ipse miser: quodsi non pulchrior ignis
 Accendit obsessam Ilion,
 15 Gaude sorte tua; me libertina, nec uno
 Contenta, Phryne macerat.

XV.

Nox erat et caelo fulgebat Luna sereno
 Inter minora sidera,
 Cum tu, magnorum numen laesura deorum,
 In verba iurabas mea,
 Artius atque hedera procera adstringitur ilex, 5
 Lentis adhaerens brachiis,
 Dum pecori lupus et nautis infestus Orion
 Turbarit hibernum mare,
 Intonsosque agitarit Apollinis aura capillos,
 Fore hunc amorem mutuum. 10
 O dolitura mea multum virtute Neaera!
 Nam siquid in Flacco virist,
 Non feret adsiduas potiori te dare noctes,
 Et quaeret iratus parem:
 Nec semel offensae cedet constantia formae, 15
 Si certus intrarit dolor.
 At tu, quicumque's felicior atque meo nunc
 Superbus incedis malo,
 Sis pecore et multa dives tellure licebit
 Tibique Pactolus fluat, 20
 Nec te Pythagorae fallant arcana renati,
 Formaue vincas Nirea,
 Eheu, translatos alio maerebis amores.
 Ast ego vicissim risero.

XVI.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
 Suis et ipsa Roma viribus ruit:
 Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
 Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
 Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer 5
 Novisque rebus infidelis Allobrox,
 Nec fera caerulea domuit Germania pube
 Parentibusque abominatus Hannibal;

- In pia perdemus devoti sanguinis aetas,
 10 Ferisque rursus occupabitur solum.
 Barbarus heu cineres insistet victor et Urbem
 Eques sonante verberabit ungula,
 Quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,
 Nefas videre! dissipabit insolens.
 15 Forte, quod expediat, communiter aut melior pars
 Malis carere quaeritis laboribus;
 Nulla sit hac potior sententia, Phocaeorum
 Velut profugit exsecrata civitas
 Agros atque Lares patrios, habitandaque fana
 20 Apris reliquit et rapacibus lupis,
 Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas
 Notus vocabit aut protervus Africus.
 Sic placet? an melius quis habet suadere? Secunda
 Ratem occupare quid moramur alite?
 25 Sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint
 Vadis levata, ne redire sit nefas;
 Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
 Padus Matina laverit cacumina,
 In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
 30 Novaque monstra iunxerit libidine
 Mirus amor, iuvenet ut tigres subsidere cervis,
 Adulteretur et columba miluo,
 Credula nec rivos timeant armenta leones,
 Ametque salsa levis hircus aequora.
 35 Haec et quae poterunt reditus abscindere dulces
 Eamus omnis exsecrata civitas,
 Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
 Inominata perprimat cubilia.
 Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
 40 Etrusca praeter et volate litora.
 Nos manet Oceanus circumvagus: † arva, beata
 Petamus arva divites et insulas,
 Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis
 Et inputata floret usque vinea,
 45 Germinat et numquam fallentis termes olivae,
 Suamque pulla ficus ornat arborem,

- Mella cava manant ex ilice, montibus altis
 Levis crepante lymphæ desilit pede.
 Illic iniussae veniunt ad muletra capellae,
 Refertque tenta grex amicus ubera, 50
 Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
 Nec intumescit alta viperis humus.
 Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
 Aquosus Eurus arva radat imbribus,
 Pingua nec siccis urantur semina glaebis, 55
 Vtrumque rege temperante caelitem.
 Non huc Argoo contendit remige pinus,
 Neque impudica Colchis intulit pedem;
 Non huc Sidonii torserunt cornua nautae
 Laboriosa nec cohors Vlizei. 60
 Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
 Gregem aestuosa torret in potentia.
 Iuppiter illa pia secrevit litora genti,
 Vt inquinavit aere tempus aureum;
 Aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum 65
 Pius secunda vate me datur fuga.

XVII.

- ‘Iam iam efficaci do manus scientiae,
 Supplex et oro regna per Proserpinae,
 Per et Dianae non movenda numina,
 Per atque libros carminum valentium
 Refixa caelo devocare sidera, 5
 Canidia, parce vocibus tandem sacris
 Citumque retro solve, solve turbinem!
 Movit nepotem Telephus Nereium,
 In quem superbus ordinarat agmina
 Mysorum et in quem tela acuta torserat. 10
 Vixere matres Iliæ addictum feris
 Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
 Postquam relictis moenibus rex procidit
 Heu pervicacis ad pedes Achillei.

- 15 Setosa duris exuere pellibus
 Laboriosi remiges Vlixei
 Volente Circa membra, tunc mens et sonus
 Relapsus atque notus in voltus honor.
 Dedi satis superque poenarum tibi,
 20 Amata nautis multum et institoribus.
 Fugit iuventas et verecundus color
 Reliquit ora pelle amicta lurida,
 Tuis capillus albus est odoribus,
 Nullum ab labore me reclinat otium;
 25 Vrguet diem nox et dies noctem, nequest
 Levare tenta spiritu praecordia.
 Ergo negatum vincor ut credam miser,
 Sabella pectus increpare carmina
 Caputque Marsa dissilire nenia.
 30 Quid amplius vis? O mare et terra, ardeo,
 Quantum neque atro delibutus Hercules
 Nessi cruore, nec Sicana fervida
 Virens in Aetna flamma; tu, donec cinis
 Iniuriosis aridus ventis ferar,
 35 Cales venenis officina Colchicis.
 Quae finis aut quod me manet stipendium?
 Effare; iussas cum fide poenas luam,
 Paratus expiare, seu poposceris
 Centum iuencos, sive mendaci lyra
 40 Voles sonari: tu pudica, tu proba,
 Perambulabis astra sidus aureum.
 Infamis Helenae Castor offensus vice
 Fraterque magni Castoris, victi prece,
 Adempta vati reddidere lumina:
 45 Et tu — potes nam — solve me dementia,
 O nec paternis obsoleta sordibus,
 Nec in sepulcris pauperum prudens anus
 Novendiales dissipare pulveres.
 Tibi hospitale pectus et purae manus
 50 Tuusque venter Pactumeius, et tuo
 Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
 Vt cumque fortis exsulis puerpera?

- ‘Quid obseratis auribus fundis preces?
 Non saxa nudis surdiora navitis
 Neptunus alto tundit hibernus salo. 55
 Inultus ut tu riseris Cotyttia
 Volgata, sacrum liberi Cupidinis,
 Et Esquilini pontifex venefici
 Impune ut Urbem nomine inpleris meo?
 Quid proderat ditasse Paelignas anus, 60
 Velociusve miscuisse toxicum?
 Sed tardiora fata te votis manent;
 Ingrata misero vita ducendast in hoc,
 Novis ut usque suppetas laboribus. 65
 Optat quietem Pelopis infidi pater,
 Egens benignae Tantalus semper dapis,
 Optat Prometheus obligatus aliti,
 Optat supremo collocare Sisyphus
 In monte saxum; sed vetant leges Iovis. 70
 Voles modo altis desilire turribus,
 Modo ense pectus Norico recludere,
 Frustraque vincla gutturi nectes tuo,
 Fastidiosa tristis aegrimonia.
 Vectabor umeris tunc ego inimicis eques, 75
 Meaque terra cedet insolentiae.
 An quae movere cereas imagines,
 Vt ipse nosti curiosus, et polo
 Deripere Lunam vocibus possim meis,
 Possim crematos excitare mortuos
 Desiderique temperare pocula, 80
 Plorem artis in te nil agentis exitum?’

SATIRARVM

LIBER PRIMVS

I.

Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
 Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
 Contentus vivat, laudet diversa sequentes?
 'O fortunati mercatores!' gravis annis
 5 Miles ait, multo iam fractus membra labore.
 Contra mercator, navim iactantibus Austris,
 'Militiast potior. Quid enim? Concurritur; horae
 Momento cita mors venit aut victoria laeta.'
 Agricola laudat iuris legumque peritus,
 10 Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.
 Ille datis vadibus qui rure extractus in urbemst,
 Solos felices viventes clamat in urbe.
 Cetera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem
 Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi
 15 Quo rem deducam. Siquis deus 'En ego' dicat
 'Iam faciam quod voltis; eris tu, qui modo miles,
 Mercator; tu consultus modo, rusticus: hinc vos,
 Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia.
 Quid statis?' nolint. Atqui licet esse beatis.
 20 Quid causaest, merito quin illis Iuppiter ambas
 Iratus buccas inflet neque se fore posthac
 Tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
 Praeterea ne sic, ut qui iocularia, ridens
 Percurram (quamquam ridentem dicere verum
 25 Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
 Doctores, elementa velint ut discere prima;
 Sed tamen amoto quaeramus seria ludo);

Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
 Perfidus hic caupo, miles, nautaeque per omne
 Audaces mare qui currunt, hac mente laborem 30
 Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
 Aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut
 Parvola, nam exemplost, magni formica laboris
 Ore trahit quodecumque potest atque addit acervo,
 Quem struit, haud ignara ac non incauta futuri. 35
 Quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
 Non usquam prorepat et illis utitur ante
 Quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus
 Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum,
 Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter. 40
 Quid iuvat, immensum te argenti pondus et auri
 Furtim defossa timidum deponere terra?
 'Quod, si conminuas, vilem redigatur ad assem.'
 At ni id fit, quid habet pulchri constructus acervus?
 Milia frumenti tua triverit area centum: 45
 Non tuus hoc capiet venter plus ac meus, ut si
 Reticulum panis venales inter onusto
 Forte vehas umero, nihilo plus accipias quam
 Qui nil portarit. Vel dic, quid referat intra
 Naturae fines viventi, iugera centum an 50
 Mille aret? 'At suavest ex magno tollere acervo.'
 Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinuas,
 Cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
 Vt tibi si sit opus liquidi non amplius urna
 Vel cyatho, et dicas 'magno de flumine malim, 55
 Quam ex hoc fonticulo tantundem sumere.' Eo fit,
 Plenior ut siquos delectet copia iusto,
 Cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.
 At qui tantuli eget, quantost opus, is neque limo
 Turbatam haurit aquam neque vitam amittit in undis. 60
 At bona pars hominum decepta cupidine falso
 'Nil satis est' inquit 'quia tanti quantum habeas sis.'
 Quid facias illi? Iubeas miserum esse, libenter
 Quatenus id facit. Vt quidam memoratur Athenis
 Sordidus ac dives, populi contemnere voces 65

Sic solitus: 'populus me sibilat, at mihi plaudo
 Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.'
 Tantalus a labris sitiens fugientia captat
 Flumina. Quid rides? Mutato nomine de te
 70 Fabula narratur: congestis undique saccis
 Indormis inhians et tamquam parcere sacris
 Cogeris aut pictis tamquam gaudere tabellis.
 Nescis quo valeat nummus? quem praebeat usum?
 Panis ematur, olus, vini sextarius, adde,
 75 Quis humana sibi doleat natura negatis.
 An vigilare metu exanimem, noctesque diesque
 Formidare malos fures, incendia, servos,
 Ne te compilent fugientes, hoc iuvat? Horum
 Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
 80 At si condoluit temptatum frigore corpus
 Aut alius casus lecto te adfixit, habes qui
 Adsideat, fomenta parat, medicum roget, ut te
 Suscitet ac reddat gnatis carisque propinquis?
 Non uxor salvum te volt, non filius; omnes
 85 Vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
 Miraris, cum tu argento post omnia ponas,
 Si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
 At si cognatos, nullo natura labore
 Quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,
 90 Infelix operam perdas: ut siquis asellum
 In campo doceat parentem currere frenis.
 Denique sit finis quaerendi, cumque habeas plus,
 Pauperiem metuas minus et finire laborem
 Incipias, parto quod avebas, ne facias quod
 95 Vmmidius quidam; non longast fabula: dives,
 Vt metiretur nummos, ita sordidus, ut se
 Non umquam servo melius vestiret, ad usque
 Supremum tempus, ne se penuria victus
 Opprimeret, metuebat. At hunc liberta securi
 100 Divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
 'Quid mi igitur suades? Vt vivam Maenius, aut sic,
 Vt Nomentanus?' Pergis pugnancia secum
 Frontibus adversis componere: non ego, avarum

Cum veto te fieri, vappam iubeo ac nebulonem.
 Est inter Tanain quiddam socerumque Viselli. 105
 Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
 Quos ultra citraque nequit consistere rectum.
 Illic, unde abii, redeo, qui nemo, ut avarus,
 Se probet ac potius laudet diversa sequentes,
 Quodque aliena capella gerat distentius uber, 110
 Tabescat, neque se maiori pauperiorum
 Turbae conparet, hunc atque hunc superare laboret,
 Sic festinanti semper locupletior obstet,
 Vt, cum carceribus missos rapit ungula currus,
 Instat equis auriga suos vincentibus, illum 115
 Praeteritum temnens extremos inter euntem.
 Inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
 Dicat et exacto contentus tempore vita
 Cedat uti conviva satur, reperire queamus.
 Iam satis est. Ne me Crispini scrinia lippi 120
 Conpilasse putes, verbum non amplius addam.

II.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
 Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
 Maestum ac sollicitumst cantoribus Tigelli:
 Quippe benignus erat. Contra hic, ne prodigus esse
 Dicatur metuens, inopi dare nolit amico, 5
 Frigus quo duramque famem propellere possit.
 Hunc si perconteris, avi cur atque parentis
 Praeclaram ingrata stringat malus ingluvie rem,
 Omnia conductis coemens obsonia nummis;
 Sordidus atque animi quod parvi nolit haberi, 10
 Respondet. Laudatur ab his, culpatur ab illis.
 Fufidius vappae famam timet ac nebulonis:
 [Dives agris, dives positus in fenore nummis.]
 Quinas hic capiti mercedes exsecat, atque
 Quanto perditior quisquest, tanto acrius arguet; 15
 Nomina sectatur, modo sumpta veste virili,

- Sub patribus duris tironum. 'Maxime' quis non
 'Iuppiter!' exclamat, simul atque audivit? 'At in se
 Pro quaestu sumptum facit hic.' Vix credere possis,
 20 Quam sibi non sit amicus, ita ut pater ille, Terenti
 Fabula quem miserum gnato vixisse fugato
 Inducit, non se peius cruciaverit atque hic.
 Siquis nunc quaerat 'quo res haec pertinet?' illuc:
 Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
 25 Malthinus tunicis demissis ambulat; est qui
 Inguen ad obscaenum subductis usque facetus.
 Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.
 Nil mediumst. Sunt qui nolint tetigisse nisi illas,
 Quarum subsuta talos tegat instita veste;
 30 Contra alius nullam nisi olenti in fornice stantem.
 Quidam notus homo cum exiret fornice, 'macte
 Virtute esto' inquit sententia dia Catonis:
 'Nam simul ac venas inflavit taetra libido,
 Hue iuvenes aequumst descendere, non alienas
 35 Permolere uxores.' 'Nolim laudariet' inquit
 'Sic me' mirator cumni Cupiennius albi.
 Audirest operae pretium, procedere recte
 Qui moechos non voltis, ut omni parte laborent,
 Vtque illis multo corrupta dolore voluptas,
 40 Atque haec rara, cadat dura inter saepe pericla.
 Hic se praecipitem tecto dedit, ille flagellis
 Ad mortem caesus, fugiens hic decidit acrem
 Praedonum in turbam, dedit hic pro corpore
 nummos,
 Hunc perminxerunt calones; quin etiam illud
 45 Accidit, ut cuidam testes caudamque salacem
 Demeterent ferro. 'Iure' omnes; Galba negabat.
 Tutior at quanto merx est in classe secunda,
 Libertinarum dico, Salustius in quas
 Non minus insanit quam qui moechatur. At hic si,
 50 Qua res, qua ratio suaderet, quaque modeste
 Munifico esse licet, vellet bonus atque benignus
 Esse, daret quantum satis esset, nec sibi damno
 Dedecorique foret. Verum hoc se amplectitur uno,

- Hoc amat et laudat, 'matronam nullam ego tango.'
 Vt quondam Marsaeus, amator Originis ille, 55
 Qui patrium mimae donat fundumque Laremque,
 'Nil fuerit mi' inquit 'cum uxoribus umquam alienis.'
 Verum est cum mimis, est cum meretricibus, unde
 Fama malum gravius quam res trahit. An tibi
 abunde
 Personam satis est, non illud, quidquid ubique 60
 Officit, evitare? Bonam deperdere famam,
 Rem patris oblimare, malumst ubicumque. Quid inter
 Est in matrona, ancilla peccesne togata?
 Villius in Fausta Sullae genero, hoc miser uno
 Nomine deceptus, poenas dedit usque superque 65
 Quam satis est, pugnis caesus ferroque petitus,
 Exclusus fore, cum Longareus foret intus.
 Huic si mutonis verbis mala tanta videntis
 Diceret haec animus 'quid vis tibi? numquid
 ego a te
 Magno prognatum depono consule cunnum 70
 Velatumque stola, mea cum conferbuit ira?'
 Quid responderet? 'Magno patre nata puellast.'
 At quanto meliora monet pugnantiisque istis
 Dives opis natura suae, tu si modo recte
 Dispensare velis ac non fugienda petendis 75
 Inmiscere. Tuo vitio rerumne labores,
 Nil referre putas? Quare, ne paeniteat te,
 Desine matronas sectariet, unde laboris
 Plus haurire malist quam ex re decerpere fructus.
 Nec magis huic, inter niveos viridesque lapillos 80
 Sit licet, hoc, Cerinthe, tuo tenerumst femur
 aut crus
 Rectius, atque etiam melius persaepe togataest.
 Adde huc quod mercem sine fucis gestat, aperte
 Quod venale habet ostendit, nec, siquid honestist,
 Iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet. 85
 Regibus hic mos est, ubi equos mercantur; opertos
 Inspiciunt, ne si facies, ut saepe, decora
 Molli fulta pedest, emptorem inducat hiantem,

Quod pulchrae clunes, breve quod caput, ardua
cervix.

90 Hoc illi recte; ne corporis optima Lyncei
Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa,
Quae mala sunt, spectes. 'O crus, o brachia!'

Verum

Depugis, nasuta, brevi latere ac pede longost.
Matronae praeter faciem nil cernere possis,

95 Cetera, ni Catiast, demissa veste tegentis.
Si interdicta petes, vallo circumdata, nam te
Hoc facit insanum, multae tibi tum officient res,
Custodes, lectica, cimiflones, parasitae,
Ad talos stola demissa et circumdata palla,

100 Plurima, quae invadeant pure adparere tibi rem.
Altera, nil obstat: Cois tibi paene viderest
Vt nudam, ne crure malo, ne sit pede turpi;
Metiri possis oculo latus. An tibi mavis
Insidias fieri pretiumque avellier ante

105 Quam mercem ostendi? 'Leporem venator ut alta
In nive sectetur, positum sic tangere nolit,'
Cantat et adponit 'meus est amor huic similis: nam
Transvolat in medio posita et fugientia captat.'
Hiscine versiculis speras tibi posse dolores

110 Atque aestus curasque graves e pectore tolli?
Nonne, cupidinibus statuatur natura modum quem,
Quid latura sibi, quid sit dolutura negatum,
Quaerere plus prodest et inane abscindere soldo?
Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quaeris

115 Pocula? num esuriens fastidis omnia praeter
Pavonem rhombumque? Tument tibi cum inguina,
num, si

Ancilla aut vernast praesto puer, impetus in quem
Continuo fiat, malis tentigine rumpi?

Non ego: namque parabilem amo venerem faci-
lemque.

120 Illam 'Post paullo'; 'Sed pluris'; 'Si exierit vir'
Gallis, hanc Philodemus ait sibi, quae neque magno
Stet pretio neque cunctetur, cumst iussa venire.

Candida rectaque sit, munda hactenus, ut neque
longa

Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.
Haec, ubi supposuit dextro corpus mihi laevum, 125
Illa et Egeriast; do nomen quodlibet illi,
Nec vereor, ne, dum futuo, vir rure recurrat,
Ianna frangatur, latret canis, undique magno
Pulsa domus strepitu resonet, vepallida lecto
Desiliat mulier, miseram se conscia clamet, 130
Cruribus haec metuat, doti deprensa, egomet mi.
Discincta tunica fugiendumst ac pede nudo,
Ne nummi pereant aut puga aut denique fama.
Deprendi miserumst: Fabio vel iudice vincam.

III.

Omnibus hoc vitiumst cantoribus, inter amicos
Vt numquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc: Caesar, qui cogere posset, 5
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quicquam proficeret; si conlibuisset, ab ovo
Vsque ad mala citaret 'io Bacchae' modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quatuor ima.
Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui 10
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret; habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos; modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens, modo 'sit mihi mensa
tripas et

Concha salis puri et toga, quae defendere frigus,
Quamvis crassa, queat.' Deciens centena dedisses 15
Huic parco, paucis contento: quinque diebus
Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane, diem totum stertebat. Nil fuit unquam
Sic impar sibi. Nunc aliquis dicat mihi 'quid tu?
Nullane habes vitia?' Immo alia, et fortasse minora. 20

Maenius absentem Novium cum carperet, 'heus tu,'
 Quidam ait 'ignoras te, an ut ignotum dare nobis
 Verba putas?' 'Egomet mi ignosco' Maenius inquit.
 Stultus et improbus hic amor est dignusque notari.
 25 Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis:
 Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
 Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? At tibi
 contra
 Evenit, inquirant vitia ut tua rursus et illi.
 Iracundior est paullo, minus aptus acutis
 30 Naribus horum hominum, rideri possit eo, quod
 Rusticius tonso toga defluit et male laxus
 In pede calceus haeret; at est bonus, ut melior vir
 Non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium
 ingens
 Inculto latet hoc sub corpore. Denique te ipsum
 35 Concute, numqua tibi vitiorum inseverit olim
 Natura aut etiam consuetudo mala: namque
 Neglectis urenda filix innascitur agris.
 Illuc praeventamur: amatorem quod amicae
 Turpia decipiunt caecum vitia, aut etiam ipsa haec
 40 Delectant, veluti Balbinum polypus Hagnae.
 Vellem in amicitia sic erraremus et isti
 Errori nomen virtus posuisset honestum.
 At pater ut gnati, sic nos debemus, amici
 Siquod sit vitium, non fastidire: strabonem
 45 Adpellat paetum pater, et pullum, male parvus
 Sicuti filius est, ut abortivus fuit olim
 Sisyphus; hunc varum distortis cruribus, illum
 Balbutit scaurum, pravis fultum male talis.
 Parcius hic vivit: frugi dicatur. Ineptus
 50 Et iactantior hic paullost: concinnus amicis
 Postulat ut videatur. At est truculentior atque
 Plus aequo liber: simplex fortisque habeatur.
 Caldior est: acres inter numeretur. Opinor,
 Haec res et iungit, iunctos et servat amicos.
 55 At nos virtutes ipsas invertimus atque
 Sincerum cupimus vas inerustare. Probus quis

Nobiscum vivit, multum demissus homo; illi
 Tardo cognomen pingui damus. Hic fugit omnes
 Insidias nullique malo latus obdit apertum;
 Cum genus hoc inter vitae versemur, ubi acris 60
 Invidia atque vigent ubi crimina: pro bene sano
 Ac non incauto fictum astutumque vocamus.
 Simplicior quis et est, qualem me saepe † libenter
 Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
 Aut tacitum inpellat quovis sermone: 'molestus! 65
 Communi sensu plane caret' inquam. Eheu,
 Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam.
 Nam vitiis nemo sine nascitur; optimus illest,
 Qui minimis urgetur. Amicus dulcis, ut aequumst,
 Cum mea compenset vitiis bona, pluribus hisce, 70
 Si modo plura mihi bona sunt, inclinet, amari
 Si volet: hac lege in trutina ponetur eadem.
 Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
 Postulat, ignoscet verrucis illius: aequumst
 Peccatis veniam poscentem reddere rursus. 75
 Denique, quatenus excidi penitus vitium irae,
 Cetera item nequeunt stultis haerentia, cur non
 Ponderibus modulisque suis ratio utitur, ac res
 Vt quaequest, ita suppliciiis delicta coerces?
 Siquis eum servum, patinam qui tollere iussus 80
 Semesos pisces tepidumque ligurrierit ius,
 In cruce suffigat: Labeone insanior inter
 Sanos dicatur. Quanto hoc furiosius atque
 Maius peccatumst: paullum deliquit amicus,
 Quod nisi concedas, habere insuavis, acerbus: 85
 Odisti et fugis ut Rusonem debitor aeris,
 Qui nisi, cum tristes misero venere Calendae,
 Mercedem aut nummos unde unde extricat, amaras
 Porrecto iugulo historias captivus ut audit.
 Conminxit lectum potus mensave catillum 90
 Euandri manibus tritum deiecit: ob hanc rem,
 Aut positum ante mea quia pullum in parte catini
 Sustulit esuriens, minus hoc iucundus amicus
 Sit mihi? Quid faciam, si furtum fecerit, aut si

- 95 Prodiderit conmissa fide sponsumve negarit?
 Quis paria esse fere placuit peccata, laborant,
 Cum ventum ad verumst: sensus moresque re-
 pugnant
 Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi.
 Cum proreperunt primis animalia terris,
 100 Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia
 propter
 Vnguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro
 Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus,
 Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
 Nominaque invenere; dehinc absistere bello,
 105 Oppida coeperunt munire et ponere leges,
 Nequis fur esset, neu latro, neuquis adulter.
 Nam fuit ante Helenam cunus taeterrima belli
 Causa, sed ignotis perierunt mortibus illi,
 Quos venerem incertam rapiens more ferarum
 110 Viribus editior caedebat, ut in grege taurus.
 Iura inventa metu iniusti fateare necessest,
 Tempora si fastosque velis evolvere mundi.
 Nec natura potest iusto secernere iniquum,
 Dividit ut bona diversis, fugienda petendis;
 115 Nec vincet ratio hoc, tantundem ut peccet idemque,
 Qui teneros caules alieni fregerit horti
 Et qui nocturnus sacra divum legerit. Adsit
 Regula, peccatis quae poenas inroget aequas,
 Ne scutica dignum horribili sectere flagello.
 120 Nam ut ferula caedas meritum maiora subire
 Verbera, non vereor, cum dicas esse pares res
 Furta latrociniiis et magnis parva mineris
 Falce recisurum simili te, si tibi regnum
 Permittant homines. Si dives, qui sapiens est,
 125 Et sutor bonus et solus formosus et est rex,
 Cur optas quod habes? 'Non nosti, quid pater'
 inquit
 'Chrysippus dicat: sapiens crepidas sibi num-
 quam
 Nec soleas fecit, sutor tamen est sapiens.' Qui?

'Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque
 Optimus est modulator; ut Alfenus vafer omni 130
 Abiecto instrumento artis clausaque taberna
 Tonsor erat; sapiens operis sic optimus omnis
 Est opifex, solus sic rex.' Vellunt tibi barbam
 Lascivi pueri, quos tu nisi fuste coherces,
 Vrgueris turba circum te stante miserque 135
 Rumperis et latras, magnorum maxime regum.
 Ne longum faciam: dum tu quadrante lavatum
 Rex ibis neque te quisquam stipator ineptum
 Praeter Crispinum sectabitur, et mihi dulces
 Ignoscent, siquid peccaro stultus, amici, 140
 Inque vicem illorum patiar delicta libenter,
 Privatusque magis vivam te rege beatus.

III.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
 Atque alii, quorum comoedia prisca virorumst,
 Siquis erat dignus describi, quod malus ac fur,
 Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
 Famosus, multa cum libertate notabant. 5
 Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus
 Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
 Emunctae naris, durus componere versus.
 Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
 Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno. 10
 Cum fuisset ludentus, erat quod tollere velles;
 Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
 Scribendi recte: nam ut multum, nil moror. Ecce,
 Crispinus minimo me provocat 'accipe, si vis,
 Accipiam tabulas; detur nobis locus, hora, 15
 Custodes; videamus uter plus scribere possit.'
 Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli
 Finxerunt animi, raro et perpauca loquentis;
 At tu conclusas hircinis follibus auras
 Vsque laborantes, dum ferrum molliat ignis, 20

Vt mavis, imitare. Beatus Fannius ultro
Delatis capsis et imagine; cum mea nemo
Scripta legat, vulgo recitare timentis ob hanc rem,
Quod sunt quos genus hoc minime iuvat, utpote

plures

- 25 Culpari dignos. Quemvis media elige turba;
Aut ob avaritiam aut misera ambitione laborat.
Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum;
Hunc capit argenti splendor; stupet Albius aere;
Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo
- 30 Vespertina tepet regio; quin per mala praeceps
Fertur, uti pulvis collectus turbine, nequid
Summa deperdat metuens aut ampliet ut rem.
Omnes hi metuunt versus, odere poetas.
‘Foenum habet in cornu, longe fuge: dummodo
- risum
- 35 Executiat sibi, non hic cuiquam parcat amico,
Et quodcumque semel chartis inleverit, omnes
Gestiet a furno redeuntes scire lacuque
Et pueros et anus.’ Agedum, pauca accipe contra.
Primum ego me illorum, dederim quibus esse
- poetis,
- 40 Excerptam numero: neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque, siqui scribat uti nos
Sermoni propiora, putes hunc esse poetam.
Ingenium cui sit, cui mens diviniore atque os
Magna sonaturum, des nominis huius honorem.
- 45 Idcirco quidam, comoedia necne poema
Esset, quaesivere, quod acer spiritus ac vis
Nec verbis nec rebus inest, nisi quod pede certo
Differt sermoni, sermo merus. ‘At pater ardens
Saevit, quod meretrice nepos insanus amica
- 50 Filius uxorem grandi cum dote recuset,
Ebrius et, magnum quod dedecus, ambulet ante
Noctem cum facibus.’ Numquid Pomponius istis
Audiret leviora, pater si viveret? Ergo
Non satis est puris versum perscribere verbis,
- 55 Quem si dissolvas, quivis stomachetur eodem

Quo personatus pacto pater. His, ego quae nunc,
Olim quae scripsit Lucilius, eripias si
Tempora certa modosque, et quod prius ordine
verbumst

Posterius facias, praeponens ultima primis:
Non, ut si solvas ‘postquam discordia taetra 60
Belli ferratos postes portasque refregit,’
Invenias etiam disiecti membra poetae.
Haecenus haec: alias iustum sit necne poema;
Nunc illud tantum quaeram, meritone tibi sit
Suspectum genus hoc scribendi. Sulcius acer 65
Ambulat et Caprius, rauci male cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus; at bene siquis
Et vivat puris manibus, contemnat utrumque.
Vt sis tu similis Caeli Birrique latronum,
Non ego sim Capri neque Sulci: cur metuas me? 70
Nulla taberna meos habeat neque pila libellos,
Quis manus insudet vulgi Hermogenisque Tigelli;
Nec recito cuiquam nisi amicis idque coactus,
Non ubivis coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes: 75
Suave locus voci resonat conclusus. Inanes
Hoc iuvat, haud illud quaerentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno. ‘Laedere gaudes,’
Inquit ‘et hoc studio pravus facis.’ Vnde petitum
Hoc in me iacis? Est auctor quis denique eorum, 80
Vixi cum quibus? Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane, caveto. 85
Saepe tribus lectis videas cenare quaternos,
E quibus unus amet quavis adspargere cunctos
Praeter eum qui praebet aquam; post hunc quo-
que potus,
Condita cum verax aperit praecordia Liber.
Hic tibi comis et urbanus liberque videtur, 90
Infesto nigris; ego si risi, quod ineptus

Pastillos Rafillus olet, Gargonius hircum,
 Lividus et mordax videor tibi? Mentio siqua
 De Capitolini furtis iniecta Petilli
 95 Te coram fuerit; defendas, ut tuus est mos:
 'Me Capitolinus convictore usus amicoque
 A puerost, causaque mea permulta rogatus
 Fecit, et incolumis laetor quod vivit in urbe;
 Sed tamen admiror, quo pacto iudicium illud
 100 Fugerit': hic nigrae succus loliginis, haec est
 Aerugo mera; quod vitium procul afore chartis
 Atque animo prius, ut siquid promittere de me
 Possum aliud vere, promitto. Liberior si
 Dixero quid, si forte iocosius; hoc mihi iuris
 105 Cum venia dabis: insuevit pater optimus hoc me
 Vt fugerem, exemplis vitiorum quaeque notando.
 Cum me hortaretur parce frugaliter atque
 Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset:
 'Nonne vides, Albi ut male vivat filius utque
 110 Barus inops? Magnum documentum, ne patriam
 rem
 Perdere quis velit.' A turpi meretricis amore
 Cum deterreret: 'Scetani dissimilis sis.'
 Ne sequerer moechas, concessa cum venere uti
 Possem: 'Deprensi non bellast fama Treboni'
 115 Aiebat. 'Sapiens, vitatu quidque petitu
 Sit melius, causas reddet tibi; mi satis est, si
 Traditum ab antiquis morem servare tuamque,
 Dum custodis eges, vitam famamque tueri
 Incolumem possum; simul ac duraverit aetas
 120 Membra animumque tuum, nabis sine cortice.'
 Sic me
 Formabat puerum dictis, et sive iubebat,
 Vt facerem quid 'habes auctorem, quo facias hoc:—
 Vnum ex iudicibus selectis obiciebat;—
 Sive vetabat, 'an hoc inhonestum et inutile factu
 125 Necne sit addubites, flagret rumore malo cum
 Hic atque ille?' Avidos vicinum funus ut aegros
 Exanimat, mortisque metu sibi parcere cogit:

Sic teneros animos aliena opprobria saepe
 Absterrent vitiiis. Ex hoc ego sanus ab illis,
 Perniciem quaecumque ferunt, mediocribus et quis 130
 Ignoscas vitiiis teneor; fortassis et istinc
 Largiter abstulerit longa aetas, liber amicus,
 Consilium proprium: neque enim, cum lectulus
 aut me

Porticus excepit, desum mihi. 'Rectius hoc est.
 Hoc faciens vivam melius. Sic dulcis amicis 135
 Occurram. Hoc quidam non belle: numquid ego illi
 Inprudens olim faciam simile?' . . . Haec ego
 mecum

Compressis agito labris; ubi quid datur oti,
 Inludo chartis. Hoc est mediocribus illis
 Ex vitiiis unum; cui si concedere nolis, 140
 Multa poetarum veniet manus, auxilio quae
 Sit mihi: nam multo plures sumus, ac veluti te
 Iudaei cogemus in hanc concedere turbam.

V.

Egressum magna me excepit Aricia Roma
 Hospitio modico, rhetor comes Heliodorus,
 Graecorum longe doctissimus; inde Forum Appi,
 Differtum nautis cauponibus atque malignis.
 Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos 5
 Praecinctis unum: minus est gravis Appia tardis.
 Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
 Indico bellum, cenantes haud animo aequo
 Exspectans comites. Iam nox inducere terris
 10 Umbras et caelo diffundere signa parabat;
 Tum pueri nautis, pueris convitia nautae
 Ingerere: 'huc appelle; trecentos inseris; ohe
 Iam satis est.' Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
 Tota abit hora. Mali culices ranaeque palustres
 15 Avertunt somnos, absentem ut cantat amicam
 Multa prolutus vappa nauta atque viator

Certatim. Tandem fessus dormire viator
 Incipit, ac missae pastum retinacula mulae
 Nauta piger saxo religat stertitque supinus.
 20 Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
 Sentimus, donec cerebrosus prosilit unus
 Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
 Fuste dolat: quarta vix demum exponimur hora.
 Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha;
 25 Milia tum pransi tria repimus atque subimus
 Inpositum saxis late candentibus Anxur.
 Huc venturus erat Maecenas optimus atque
 Cocceius, missi magnis de rebus uterque
 Legati, aversos soliti componere amicos.
 30 Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
 Inlinere; interea Maecenas advenit atque
 Cocceius, Capitoque simul Fonteius, ad unguem
 Factus homo, Antoni, non ut magis alter, amicus.
 Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
 35 Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
 Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.
 In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
 Murena praebente domum, Capitone culinam.
 Postera lux oritur multo gratissima: namque
 40 Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque
 Occurrunt, animae, quales neque candidiores
 Terra tulit, neque quis me sit devinctior alter.
 O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
 Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
 45 Proxima Campano ponti quae villula, tectum
 Praebuit, et parochi, quae debent, ligna salemque.
 Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
 Lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque:
 Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
 50 Hinc nos Coccei recipit plenissima villa,
 Quae super est Caudi cauponas. Nunc mihi paucis
 Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicirri
 Musa velim memores, et quo patre natus uterque
 Contulerit lites. Messi clarum genus Osci;

Sarmenti domina exstat: ab his maioribus orti 55
 Ad pugnam venere. Prior Sarmentus 'equi te
 Esse feri similem dico.' Ridemus, et ipse
 Messius 'accipio,' caput et movet. 'O, tua cornu
 Ni foret exsecto frons,' inquit 'quid faceres, cum
 Sic mutilus minitaris?' At illi foeda cicatrix 60
 Setosam laevi frontem turpaverat oris.
 Campanum in morbum, in faciem permulta iocatus,
 Pastorem saltaret uti Cyclopa rogabat:
 Nil illi larva aut tragicis opus esse cothurnis.
 Multa Cicirrus ad haec: donasset iamne catenam 65
 Ex voto Laribus, quaerebat; scriba quod esset,
 Nilo deterius dominae ius esse: rogabat
 Denique, cur unquam fugisset, cui satis una
 Farris libra foret, gracili sic tamque pusillo.
 Prorsus iucunde cenam producimus illam. 70
 Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
 Paene macros arsit, dum turdos versat in igni:
 Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
 Volcano summum properabat lambere tectum.
 Convivas avidos cenam servosque timentes 75
 Tum rapere atque omnes restinguere velle videres.
 Incipit ex illo montes Apulia notos
 Ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
 Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici
 Villa recepisset lacrimoso non sine fumo, 80
 Vdos cum foliis ramos urente camino.
 Hic ego mendacem stultissimus usque puellam
 Ad mediam noctem exspecto; somnus tamen aufert
 Intentum veneri: tum inmundo somnia visu
 Nocturnam vestem maculant ventremque supinum. 85
 Quattuor hinc rapimur viginti et milia raedis,
 Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est,
 Signis perfacilest: venit vilissima rerum
 Hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultra
 Callidus ut soleat humeris portare viator. 90
 Nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna
 Qui locus a forti Diomedest conditus olim.

Flentibus hic Varius discedit maestus amicis.
 Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
 95 Carpentem iter et factum corruptius imbri.
 Postera tempestas melior, via peior ad usque
 Bari moenia piscosi; dein Gnatia lymphis
 Iratis exstructa dedit risusque iocosque,
 Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
 100 Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella,
 Non ego: namque deos didici securum agere aevum,
 Nec, siquid miri faciat natura, deos id
 Tristes ex alto caeli demittere tecto.
 Brundisium longae finis chartaeque viaequest.

VI.

Non quia, Maecenas, Lydorum quidquid Etruseos
 Incoluit fines, nemo generosior est te,
 Nec quod avus tibi maternus fuit atque paternus,
 Olim qui magnis legionibus imperitarent,
 5 Vt plerique solent, naso suspendis adunco
 Ignotos, ut me libertino patre natum.
 Cum referre negas, quali sit quisque parente
 Natus, dum ingenuus: persuades hoc tibi vere,
 Ante potestatem Tulli atque ignobile regnum
 10 Multos saepe viros nullis maioribus ortos
 Et vixisse probos amplis et honoribus auctos;
 Contra Laevinum, Valeri genus, unde Superbus
 Tarquinius regno pulsus fugit, unius assis
 Non unquam pretio pluris licuisse; notante
 15 Iudice, quo nosti, populo, qui stultus honores
 Saepe dat indignis et famae servit ineptus,
 Qui stupet in titulis et imaginibus. Quid oportet
 Nos facere a volgo longe longeque remotos?
 Namque esto, populus Laevino mallet honorem
 20 Quam Decio mandare novo, censorque moveret
 Appius, ingenuo si non essem patre natus:
 Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem.

Sed fulgente trahit constrictos gloria curru
 Non minus ignotos generosis. Quo tibi, Tili,
 Sumere depositum clavum fierique tribuno? 25
 Invidia adcrevit, privato quae minor esset.
 Nam ut quisque insanus nigris medium impedit crux
 Pellibus et latum demisit pectore clavum,
 Audit continuo 'quis homo hic aut quo patre natus?'
 Vt siqui aegrotet quo morbo Barrus, haberi 30
 Vt cupiat formosus, eat quacumque, puellis
 Iniciat curam quaerendi singula, quali
 Sit facie, sura, quali pede, dente, capillo:
 Sic qui promittit, cives, urbem sibi curae,
 Imperium fore et Italiam et delubra deorum, 35
 Quo patre sit natus, num ignota matre inhonestus,
 Omnes mortales curare et quaerere cogit.
 'Tunc, Syri, Damae, aut Dionysi filius, audes
 Deicere de saxo cives aut tradere Cadmo?'
 'At Novius collega gradu post me sedet uno: 40
 Namquest ille, pater quod erat meus.' 'Hoc tibi
 Paullus
 Et Messalla videris? At hic, si plostra ducenta
 Concurrantque foro tria funera, magna sonabit
 Cornua quod vincatque tubas: saltem tenet hoc nos.'
 Nunc ad me redeo libertino patre natum, 45
 Quem rodunt omnes libertino patre natum,
 Nunc, quia sum tibi, Maecenas, convictor, at olim,
 Quod mihi pareret legio Romana tribuno.
 Dissimile hoc illist, quia non, ut forsit honorem
 Iure mihi invidet quivis, ita te quoque amicum, 50
 Praesertim cautum dignos adsumere, prava
 Ambitione procul. Felicem dicere non hoc
 Me possim, casu quod te sortitus amicum:
 Nulla etenim mihi te fors obtulit; optimus olim
 Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem. 55
 Vt veni coram, singultim pauca locutus,
 Infans namque pudor prohibebat plura profari,
 Non ego me claro natum patre, non ego circum
 Me Satureiano vectari rura caballo,

- 60 Sed, quod eram, narro. Respondes, ut tuas est
mos,
Pauca: abeo, et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero. Magnum hoc ego duco,
Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,
Non patre praeclaro sed vita et pectore puro.
- 65 Atqui si vitis mediocribus ac mea paucis
Mendosast natura, alioqui recta, velut si
Egregio inspersos reprehendas corpore naevos,
Si neque avaritiam neque sordes nec mala lustra
Obiciet vere quisquam mihi, purus et insons
- 70 Vt me collaudem, si et vivo carus amicis:
Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis e centurionibus orti,
Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
- 75 Ibant octonis referentes Idibus aera,
Sed puerumst ausus Romam portare docendum
Artes, quas doceat quisvis eques atque senator
Semet prognatos. Vestem servosque sequentes,
In magno ut populo, siqui vidisset, avita
- 80 Ex re praeberi sumptus mihi crederet illos.
Ipse mihi custos incorruptissimus omnes
Circum doctores aderat. Quid multa? Pudicum,
Qui primus virtutis honos, servavit ab omni
Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi,
- 85 Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret, olim
Si praeco parvas aut, ut fuit ipse, coactor
Mercedes sequerer; neque ego essem questus. At
hoc nunc
Laus illi debetur et a me gratia maior.
Nil me paeniteat sanum patris huius, eoque
- 90 Non, ut magna dolo factum negat esse suo pars,
Quod non ingenuos habeat clarosque parentes,
Sic me defendam. Longe mea discrepat istis
Et vox et ratio: nam si natura iuberet
A certis annis aevum remeare peractum
- 95 Atque alios legere, ad fastum quoscumque parentes

- Optaret sibi quisque, meis contentus honestos
Fascibus et sellis nollem mihi sumere, demens
Iudicio volgi, sanus fortasse tuo, quod
Nollem onus haud umquam solitus portare mole-
stum.
- Nam mihi continuo maior quaerenda foret res 100
Atque salutandi plures, ducendus et unus
Et comes alter, uti ne solus rusve peregreve
Exirem, plures calones atque caballi
Pascendi, ducenda petorrta. Nunc mihi curto
Ire licet mulo vel si libet usque Tarentum, 105
Mantica cui lumbos onere ulceret atque eques armos:
Obiciet nemo sordes mihi, quas tibi, Tilli,
Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur
Te pueri, lasanum portantes oenophorumque.
Hoc ego commodius quam tu, praeclare senator, 110
Milibus atque aliis vivo. Quacumque libidost,
Incedo solus, percontor quanti olus ac far,
Fallacem circum vespertinumque pererro
Saepe forum, adsisto divinis, inde domum me
Ad porri et ciceris refero laganique catinum; 115
Cena ministratur pueris tribus, et lapis albus
Pocula cum cyatho duo sustinet, adstat echinus
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.
Deinde eo dormitum, non sollicitus, mihi quod cras
Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se 120
Voltum ferre negat Noviorum posse minoris.
Ad quartam iaceo; post hanc vagor aut ego lecto
Aut scripto quod me tacitum iuuet, unguor olivo,
Non quo fraudatis immundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum 125
Admonuit, fugio campum lusumque trigonem.
Pransus non avide, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior. Haec est
Vita solutorum misera ambitione gravique.
His me consolor victurum suavius, ac si 130
Quaestor avus pater atque meus patruusque fuisset.

VII.

- Proscripti Regis Rupili pus atque venenum
 Hybrida quo pacto sit Persius ultus, opinor
 Omnibus et lippis notum et tonsoribus esse.
 Persius hic permagna negotia dives habebat
 5 Clazomenis, etiam lites cum Rege molestas,
 Durus homo atque odio qui posset vincere Regem,
 Confidens tumidusque, adeo sermonis amari,
 Sisennas, Barros ut equis praecurreret albis.
 Ad Regem redeo. Postquam nihil inter utrumque
 10 Convenit (hoc etenim sunt omnes iure molesti,
 Quo fortes, quibus adversum bellum incidit: inter
 Hectors Priamiden animosum atque inter Achillem
 Ira fuit capitalis, ut ultima divideret mors,
 Non aliam ob causam, nisi quod virtus in utroque
 15 Summa fuit; duo si discordia vexet inertes
 Aut si disparibus bellum incidat, ut Diomed
 Cum Lycio Glaucō, discedat pigrior, ultro
 Muneribus missis) Bruto praetore tenente
 Ditem Asiam, Rupili et Persi par pugnat, uti non
 20 Conpositum melius cum Bitho Bacchius. In ius
 Acres procurunt, magnum spectaculum uterque.
 Persius exponit causam; ridetur ab omni
 Conventu; laudat Brutum laudatque cohortem:
 Solem Asiae Brutum adpellat stellasque salubres
 25 Appellat comites, excepto Rege; Canem illum,
 Invisum agricolis sidus, venisse. Ruebat
 Flumen ut hibernum, fertur quo rara securis.
 Tum Praenestinus salso multoque fluenti
 Expressa arbusto regerit convitia, durus
 30 Vindemiator et invictus, cui saepe viator
 Cessisset magna conpellans voce cuculum.
 At Graecus, postquamst Italo perfusus aceto,
 Persius exclamat: 'per magnos, Brute, deos te
 Oro, qui reges consueris tollere, cur non
 35 Hunc Regem iugulas? Operum hoc, mihi crede,
 tuorumst.

VIII.

- Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
 Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
 Maluit esse deum. Deus inde ego, furum aviumque
 Maxima formido: nam fures dextra coerces
 Obscaenoque ruber porrectus ab inguine palus, 5
 Ast inportunas volucres in vertice arundo
 Terret fixa vetatque novis considerare in hortis.
 Huc prius angustis eiecta cadavera cellis
 Conservus vili portanda locabat in arca;
 Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum; 10
 Pantolabo scurrae Nomentanoque nepoti.
 Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
 Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur.
 Nunc licet Esquiliis habitare salubribus atque
 Aggere in aprico spatari, quo modo tristes 15
 Albis informem spectabant ossibus agrum;
 Cum mihi non tantum furesque feraeque suetae
 Hunc vexare locum curae sunt atque labori,
 Quantum carminibus quae versant atque venenis
 Humanos animos. Has nullo perdere possum 20
 Nec prohibere modo, simul ac vaga luna decorum
 Protulit os, quin ossa legant herbasque nocentes.
 Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
 Canidiam pedibus nudis passoque capillo,
 Cum Sagana maiore ululantem: pallor utrasque 25
 Fecerat horrendas adspectu. Scalpere terram
 Vnguibus et pullam divellere mordicus agnam
 Coeperunt; cruor in fossam confusus, ut inde
 Manes elicerent animas responsa daturas.
 Lanea et effigies erat, altera cerea: maior 30
 Lanea, quae poenis conpesceret inferiorem;
 Cerea suppliciter stabat servilibus ut quae
 Iam peritura modis. Hecaten vocat altera, saevam
 Altera Tisiphonen: serpentes atque videres
 Infernas errare canes, lunamque rubentem, 35
 Ne foret his testis, post magna latere sepulcra.

Mentior at siquid, merdis caput inquiner albis
 Corvorum atque in me veniat mictum atque cacatum
 Iulius et fragilis Pediatia furque Voranus.
 40 Singula quid memorem, quo pacto alterna loquentes
 Vmbrae cum Sagana resonarint triste et acutum,
 Vtque lupi barbam variae cum dente colubrae
 Abdiderint furtim terris, et imagine cerea,
 Largior arserit ignis, et ut non testis inultus
 15 Horruerim voces Furiarum et facta duarum.
 Nam displosa sonat quantum vesica, pepedi
 Diffissa nate ficus; at illae currere in urbem.
 Canidiae dentes, altum Saganae caliendrum
 Excidere atque herbas atque incantata lacertis
 50 Vincula cum magno risuque iocoque videres.

VIII.

Ibam forte Via Sacra, sicut meus est mos,
 Nescio quid meditans nugarum; totus in illis:
 Accurrit quidam notus mihi nomine tantum,
 Arreptaque manu 'quid agis, dulcissime rerum?'
 5 'Suaviter, ut nunc est,' inquam 'et cupio omnia,
 quae vis.'
 Cum adsectaretur, 'numquid vis?' occupo. At ille
 'Noris nos' inquit 'docti sumus.' Hic ego 'pluris
 Hoc' inquam 'mihi eris.' Misere discedere quaerens,
 Ire modo ocius, interdum consistere, in aurem
 10 Dicere nescio quid puero, cum sudor ad imos
 Manaret talos. 'O te, Bolane, cerebri
 Felicem' aiebam tacitus, cum quilibet ille
 Garriret, vicos, urbem laudaret. Vt illi
 Nil respondebam, 'misere cupis' inquit 'abire:
 15 Iandudum video; sed nil agis: usque tenebo;
 Prosequar. Hinc quo nunc iter est tibi?' 'Nil opus
 est te
 Circuagi: quendam volo visere non tibi notum;

Trans Tiberim longe cubat is prope Caesaris hortos.
 'Nil habeo quod agam et non sum piger: usque
 sequar te.'
 Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, 20
 Cum gravius dorso subiit onus. Incipit ille:
 'Si bene me novi, non Viscum pluris amicum,
 Non Varium facies: nam quis me scribere plures
 Aut citius possit versus? quis membra movere
 25 Mollius? invideat quod et Hermogenes, ego canto.'
 Interpellandi locus hic erat: 'est tibi mater,
 Cognati, quis te salvost opus?' 'Haud mihi quisquam.
 Omnes composui.' 'Felices! Nunc ego resto.
 Confice: namque instat fatum mihi triste, Sabella
 Quod puero cecinit divina mota anus urna: 30
 Hunc neque dira venena nec hosticus auferet ensis
 Nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra;
 Garrulus hunc quando consumet cumque: loquaces,
 Si sapiat, vitet, simul atque adoleverit aetas.'
 Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei 35
 Praeterita, et casu tunc respondere vadato
 Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.
 'Si me amas,' inquit 'paullum hic ades.' 'In-
 teream, si
 Aut valeo stare aut novi civilia iura;
 Et propero quo scis.' 'Dubius sum quid faciam' 40
 inquit,
 'Tene relinquam an rem.' 'Me, sodes.' 'Non
 faciam' ille,
 Et praecedere coepit; ego, ut contendere durumst
 Cum victore, sequor. 'Maecenas quomodo tecum?'
 Hinc repetit; 'paucorum hominum et mentis bene
 sanae;
 45 Nemo dexterius fortunast usus. Haberes
 Magnum adiutorem, posset qui ferre secundas,
 Hunc hominem velles si tradere: dispeream, ni
 Summosses omnes.' 'Non isto vivimus illic,
 Quo tu rere, modo; domus hac nec purior ullast
 50 Nec magis his aliena malis; nil mi officit,' inquam,

'Ditior hic aut est quia doctior; est locus uni
Cuique suus.' 'Magnum narras, vix credibile.'

'Atqui
Sic habet.' 'Accendis, quare cupiam magis illi
Proximus esse.' 'Velis tantummodo: quae tua
virtus,

55 Expugnabis; et est qui vinci possit, eoque
Difficiles aditus primos habet.' 'Haud mihi dero:
Muneribus servos corrumpam; non, hodie si
Exclusus fuero, desistam; tempora quaeram,
Occurram in triviis, deducam. Nil sine magno

60 Vita labore dedit mortalibus.' Haec dum agit,
ecce

Fuscus Aristius occurrit, mihi carus, et illum
Qui pulchre nosset. Consistimus. 'Vnde venis et
Quo tendis?' rogat et respondet. Vellere coepi

Et prensare manu lentissima brachia, nutans,
65 Distorquens oculos, ut me eriperet. Male salsus
Ridens dissimulare; meum iecur urere bilis.

'Certe nescio quid secreto velle loqui te
Aiebas mecum.' 'Memini bene, sed meliore
Tempore dicam: hodie tricesima sabbata: vin tu

70 Curtis Iudaeis oppedere?' 'Nulla mihi' inquam
'Religiost.' 'At mi: sum paullo infirmior, unus
Multorum. Ignosces; alias loquar.' Huncine solem
Tam nigrum surrexe mihi! Fugit improbus ac me
Sub cultro linquit. Casu venit obuius illi

75 Adversarius et 'quo tu turpissime?' magna
Inclamat voce, et 'licet antestari?' Ego vero
Oppono auriculam. Rapit in ius; clamor utrimque,
Vndique concursus. Sic me servavit Apollo.

X.

[Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus, hoc lenius ille,
Quo melior vir et est longe subtilior illo,
Qui multum puerum et loris et funibus udis 5
Exhortatus, ut esset opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Vt redeam
illuc:]

Nempe inconposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor ineptest,
Vt non hoc fateatur? At idem, quod sale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen, hoc tribuens, dederim quoque cetera: 5
nam sic

Et Laberi mimos, ut pulchra poemata, mirer.
Ergo non satis est, risu diducere rictum
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus;
Est brevitae opus, ut currat sententia neu se
Impediat verbis lassas onerantibus aures, 10
Et sermone opus est modo tristi, saepe iocoso,
Defendente vicem modo rhetoris atque poetae,
Interdum urbani, parcentis viribus atque
Extenuantis eas consulto. Ridiculum acri
Fortius et melius magnas plerumque secat res. 15
Illi, scripta quibus comoedia prisca viris est,
Hoc stabant, hoc sunt imitandi; quos neque pulcher
Hermogenes umquam legit, neque simius iste,
Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.
'At magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis 20
Miscuit.' O seri studiorum, quine putetis
Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti
Contigit? 'At sermo lingua concinnus utraque
Suavior, ut Chio nota si conmixta Falernist.'
Cum versus facias, te ipsum percontor, an et cum 25

- Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli?
 Scilicet oblitos patriaeque patrisque Latini,
 Cum Pedius causas exsudet Poplicola atque
 Corvinus, patriis intermiscere petita
 30 Verba foris malis, Canusini more bilinguis?
 Atque ego cum Graecos facerem, natus mare citra,
 Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,
 Post mediam noctem visus, cum somnia vera:
 'In silvam non ligna feras insanius, ac si
 35 Magnas Graecorum malis implere catervas.'
 Turgidus Alpinus iugulat dum Memnona dumque
 Defingit Rheni luteum caput, haec ego ludo,
 Quae neque in aede sonent certantia iudice Tarpa,
 Nec redeant iterum atque iterum spectanda theatri.
 40 Arguta meretrice potes Davoque Chremeta
 Eludente senem comis garrere libellos
 Vnus vivorum, Fundani; Polio regum
 Facta canit pede ter percusso; forte epos acer,
 Vt nemo, Varius ducit; molle atque facetum
 45 Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.
 Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
 Atque quibusdam aliis, melius quod scribere
 possem,
 Inventore minor; neque ego illi detrahere ausim
 Haerentem capiti cum multa laude coronam.
 50 At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
 Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quaeso,
 Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?
 Nil comis tragici mutat Lucilius Atti,
 Non ridet versus Enni gravitate minores,
 55 Cum de se loquitur non ut maiore repressis?
 Quid vetat et nosmet Lucili scripta legentes
 Quaerere, num illius, num rerum dura negarit
 Versiculos natura magis factos et euntes
 Mollius, ac si quis pedibus quid claudere senis,
 60 Hoc tantum contentus, amet scripsisse ducentos
 Ante cibum versus, totidem cenatus: Etrusci
 Quale fuit Cassi rapido ferventius anni

- Ingenium, capsis quem famast esse librisque
 Ambustum propriis. Fuerit Lucilius, inquam,
 Comis et urbanus, fuerit limatior idem, 65
 Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor
 Quamque poetarum seniorum turba; sed ille,
 Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
 Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
 Perfectum traheretur, et in versu faciendo 70
 Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.
 Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint
 Scripturus, neque te ut miretur turba labores,
 Contentus paucis lectoribus. An tua demens
 Vilibus in ludis dictari carmina malis? 75
 Non ego: nam satis est equitem mihi plaudere,
 ut audax,
 Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
 Men moveat cimex Pantilius, aut cruciet quod
 Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
 Fannius Hermogenis laedat conviva Tigelli? 80
 Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque,
 Valgius et probet haec Octavius optimus atque
 Fuscus et haec utinam Viscorum laudet uterque!
 Ambitione relegata te dicere possum,
 Polio, te, Messalla, tuo cum fratre, simulque 85
 Vos, Bibule et Servi, simul his te, candide Furni,
 Conplures alios, doctos ego quos et amicos
 Prudens praetereo, quibus haec, sunt qualiacumque,
 Arridere velim, doliturus, si placeant spe
 Deterius nostra. Demetri, teque, Tigelli, 90
 Discipularum inter iubeo plorare cathedras.
 I, puer, atque meo citus haec subscribe libello.

SATIRARVM

LIBER SECVNDVS.

I.

- 'Sunt quibus in satira videor nimis acer et ultra
Legem tendere opus; sine nervis altera quidquid
Composui, pars esse putat similesque meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
5 Quid faciam, praescribe.' 'Quiescas.' 'Ne faciam,
inquis,
Omnino versus?' 'Aio.' 'Peream male, si non
Optimum erat; verum nequeo dormire.' 'Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Inriguumque mero sub noctem corpus habento.
10 Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude
Caesaris invicti res dicere, multa laborum
Praemia laturus.' 'Cupidum, pater optime, vires
Deficiunt: neque enim quivis horrentia pilis
Agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos
15 Aut labentis equo describit vulnera Parthi.'
'Attamen et iustum poteras et scribere fortem,
Scipiadam ut sapiens Lucilius.' 'Haud mihi dero,
Cum res ipsa feret: nisi dextro tempore, Flacci
Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem,
20 Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.'
'Quanto rectius hoc, quam tristi laedere versu
Pantolabum scurram Nomentanumque nepotem.
Cum sibi quisque timet, quamquamst intactus,
et odit.'
'Quid faciam? Saltat Milonius, ut semel icto
25 Accessit fervor capiti numerusque lucernis;

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis; quot capitum vivunt, totidem studiorum
Milia: me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.
Ille velut fidis arcana sodalibus olim 30
Credebat libris, neque si male cesserat usquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis. Sequor hunc, Lucanus an Apulus,
anceps:
Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus, 35
Missus ad hoc pulsus, vetus est ut fama, Sabellis,
Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis,
Sive quod Apula gens seu quod Lucania bellum
Incuteret violenta. Sed hic stilus haud petet ultro
Quemquam animantem, et me veluti custodiet ensis 40
Vagina tectus: quem cur destringere coner
Tutus ab infestis latronibus? O pater et rex
Iuppiter, ut pereat positum robigine telum,
Nec quisquam noceat cupido mihi pacis! At ille,
Qui me conmorit (melius non tangere, clamo), 45
Flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Cervius iratus leges minitatur et urnam,
Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum,
Grande malum Turius, siquid se iudice certes.
Vt quo quisque valet suspectos terreat, utque 50
Imperet hoc natura potens, sic collige mecum.
Dente lupus, cornu taurus petit: unde, nisi intus
Monstratum? Scaevae vivacem crede nepoti
Matrem: nil faciet sceleris pia dextera (mirum,
Vt neque calce lupus quemquam neque dente petit 55
bos);
Sed mala tollet anum vitiato melle cicuta.
Ne longum faciam: seu me tranquilla senectus
Expectat seu mors atris circumvolat alis,
Dives, inops, Romae, seu fors ita iusserit exsul,
Quisquis erit vitae scribam color.' 'O puer, ut sis 60
Vitalis metuo, et maiorum nequis amicus

- Frigore te feriat.' 'Quid, cumst Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem,
Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora
65 Cederet, introrsum turpis: num Laelius et qui
Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen,
Ingenio offensi aut laeso doluere Metello
Famosisque Lupo cooperto versibus? Atqui
Primores populi arripuit populumque tributim,
70 Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis.
Quin ubi se a vulgo et scaena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti. Quidquid sum ego,
quamvis
75 Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque
Invidia, et fragili quaerens illidere dentem,
Offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis.' 'Equidem nihil hinc diffingere possum;
80 Sed tamen ut monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum:
Si mala condiderit in quem quis carmina, ius est
Iudiciumque.' 'Esto, si quis mala; sed bona si quis
Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis
85 Opprobriis dignum latraverit, integer ipse?'
'Solventur risu tabulae, tu missus abibis.'

II.

- Quae virtus et quanta, boni, sit vivere parvo
(Nec meus hic sermost, sed quae praecepit Ofellus
Rusticus, abnormis sapiens crassaque Minerva),
Discite non inter lances mensasque nitentes,
5 Cum stupet insanis acies fulgoribus et cum
Acclinis falsis animus meliora recusat,
Verum hic inpransi mecum disquirite. Cur hoc?
Dicam, si potero. Male verum examinat omnis

- Corruptus iudex. Leporem sectatus equove
Lassus ab indomito vel, si Romana fatigat 10
Militia adsuetum graecari, seu pila velox
Molliter austerum studio fallente laborem
Seu te discus agit, pete cedentem aera disco:
Cum labor extuderit fastidia, siccus, inanis
Sperne cibum vilem; nisi Hymettia mella Falerno 15
Ne biberis diluta. Foris est promus, et atrum
Defendens pisces hiemat mare: cum sale panis
Latrantem stomachum bene leniet. Vnde putas aut
Qui partum? Non in caro nidore voluptas
Summa, sed in te ipsost. Tu pulmentaria quaere 20
Sudando: pinguem vitiis albumque nec ostrea
Nec scarus aut poterit peregrina iuvare lagois.
Vix tamen eripiam, posito pavone velis quin
Hoc potius quam gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum, quia veneat auro 25
Rara avis et picta pandat spectacula cauda:
Tamquam ad rem attineat quicquam. Num vesceris
ista,
Quam laudas, pluma? cocto num adest honor idem?
Carne tamen quamvis distat nil, hac magis illam
Inparibus formis deceptum te petere! Esto: 30
Vnde datum sentis, lupus hic Tiberinus an alto
Captus hiet? pontesne inter iactatus an amnis
Ostia sub Tusei? Laudas, insane, trilibrem
Mullum, in singula quem minnas pulmenta necessest.
Ducit te species, video: quo pertinet ergo 35
Proceros odisse lupos? Quia scilicet illis
Maiorem natura modum dedit, his breve pondus.
Ieiunus raro stomachus volgaria temnit.
'Porrectum magno magnum spectare catino
Vellem' ait Harpyiis gula digna rapacibus. At vos, 40
Praesentes Austri, coquite horum obsonia. Quam-
quam
Putet aper rhombusque recens, mala copia quando
Aegrum sollicitat stomachum, cum rapula plenus
Atque acidas mavolt inulas. Necdum omnis abacta

- 45 Pauperies epulis regum: nam vilibus ovis
Nigrisquest oleis hodie locus. Haud ita pridem
Galloni praeconis erat acipensere mensa
Infamis. Quid? tum rhombos minus aequora
alebant?
Tutus erat rhombus tutoque ciconia nido,
50 Donec vos auctor docuit praetorius. Ergo
Siquis nunc mergos suaves edixerit assos,
Parebit pravi docilis Romana iuventus.
Sordidus a tenui victu distabit, Ofello
Iudice: nam frustra vitium vitaveris illud,
55 Si te alio pravum detorseris. Avidienus,
Cui Canis ex vero dictum cognomen adhaeret,
Quinquennes oleas est et silvestria corna,
Ac nisi mutatum parcit defundere vinum, et
Cuius odorem olei nequeas perferre, licebit
60 Ille repotia, natales aliosve dierum
Festos albatu celebret, cornu ipse bilibri
Caulibus instillat, veteris non parcus aceti.
Quali igitur victu sapiens utetur, et horum
Vtrum imitabitur? Hac urguet lupus, hac canis,
aiunt.
65 Mundus erit, qua non offendant sordibus, atque
In neutram partem cultus miser. Hic neque servis,
Albuti senis exemplo, dum munia didit,
Saevus erit, nec sic ut simplex Naevius unctam
Convivis praebebit aquam: vitium hoc quoque
magnum.
70 Accipe nunc, victus tenuis quae quantaque secum
Adferat. In primis valeas bene: nam variae res
Vt noceant homini, credas, memor illius escae,
Quae simplex olim tibi sederit, at simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
75 Dulcia se in bilem vertent stomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cena desurgat dubia? Quin corpus onustum
Hesternis vitiis animum quoque praegravat una,
Atque adfigit humo divinae particulam aerae.

- Alter, ubi dicto citius curata sopori 80
Membra dedit, vegetus praescripta ad munia surgit.
Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam;
Sive diem festum rediens advexerit annus,
Seu recreare volet tenuatum corpus, ubique
Accedent anni, et tractari mollius aetas 85
Imbecilla volet; tibi quidnam accedet ad istam,
Quam puer et validus praesumis, mollitiem, seu
Dura valetudo incidere seu tarda senectus?
Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed, credo, hac mente, quod hospes 90
Tardius adveniens vitiatum commodius quam
Integrum edax dominus consumeret. Hos utinam
inter
Heroas natum tellus me prima tulisset!
Das aliquid famae, quae carmine gratior aurem
Occupet humanam? Grandes rhombi patinaeque 95
Grande ferunt una cum damno dedecus. Adde
Iratum patrum, vicinos, te tibi iniquum
Et frustra mortis cupidum, cum derit egenti
As, laquei pretium. 'Iure' inquit 'Trausius istis
Iurgatur verbis; ego vectigalia magna 100
Divitiasque habeo tribus amplas regibus.' Ergo
Quod superat non est melius quo insumere possis?
Cur eget indignus quisquam te divite? Quare
Templa ruunt antiqua deum? Cur, inprobe, carae
Non aliquid patriae tanto emetiris acervo? 105
Vni nimirum tibi recte semper erunt res.
O magnus posthac inimicis risus! Vterne
Ad casus dubios fidet sibi certius? hic qui
Pluribus adsuerit mentem corpusque superbum,
An qui contentus parvo metuensque futuri 110
In pace, ut sapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas, puer hunc ego parvus
Ofellum
Integris opibus novi non latius usum,
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum, 115

'Non ego' narrantem 'temere edi luce profesta
 Quicquam praeter olus fumosae cum pede pernae.
 Ac mihi seu longum post tempus venerat hospes
 Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
 120 Vicinus, bene erat non piscibus urbe petitis,
 Sed pullo atque haedo; tum pensilis uva secundas
 Et nux ornabat mensas cum duplice ficu.
 Post hoc ludus erat culpa potare magistra;
 Ac venerata Ceres, ita culmo surgeret alto,
 125 Explicuit vino contractae seria frontis.
 Saeviat atque novos moveat fortuna tumultus:
 Quantum hinc inminuet? quanto aut ego parcius
 aut vos,
 O pueri, nitiuistis, ut huc novus incola venit?
 Nam propriae telluris erum natura nec illum
 130 Nec me nec quemquam statuit; nos expulit ille;
 Illum aut nequities aut vafri inscitia iuris,
 Postremum expellet certe vivacior heres.
 Nunc ager Vmbreni sub nomine, nuper Ofelli
 Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
 135 Nunc mihi, nunc alii. Quocirca vivite fortes
 Fortiaque adversis opponite pectora rebus.'

III.

'Si raro scribis, ut toto non quater anno
 Membranam poscas, scriptorum quaeque retexens,
 Iratus tibi, quod vini somnique benignus
 Nil dignum sermone canas: quid fiet? At ipsis
 5 Saturnalibus huc fugisti sobrius. Ergo
 Dic aliquid dignum promissis. Incipe. Nil est?
 Culpantur frustra calami, inmeritusque laborat
 Iratis natus paries dis atque poetis.
 Atqui voltus erat multa et praeclara minantis,
 10 Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
 Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?

Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
 Invidiam placare paras virtute relicta?
 Contemnere miser! Vitandast improba Siren
 Desidia, aut quidquid vita meliore parasti 15
 Ponendum aequo animo.' 'Di te, Damasippe;
 deaque
 Verum ob consilium donent tonsore. Sed unde
 'Tam bene me nosti?' 'Postquam omnis res mea
 Ianum
 Ad medium fractast, aliena negotia curo
 Excussus propriis. Olim nam quaerere amabam, 20
 Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus aere,
 Quid sculptum infabre, quid fusum durius esset.
 Callidus huic signo ponebam milia centum;
 Hortos egregiasque domos mercarier unus
 Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriale 25
 Inposuere mihi cognomen compita.' 'Novi,
 Et miror morbi purgatum te illius.' 'Atqui
 Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
 Traiecto lateris miseri capitisve dolore,
 Vt lethargicus hic cum fit pugil et medicum urguet.' 30
 'Dum nequid simile huic, esto ut libet.' 'O bone,
 ne te

Frustrere: insanis et tu, stultique prope omnes,
 Siquid Stertinius veri crepat, unde ego mira
 Descripsi docilis praecepta haec, tempore quo me
 Solatus iussit sapientem pascere barbam 35
 Atque a Fabricio non tristem ponte reverti.
 Nam male re gesta cum vellem mittere operto
 Me capite in flumen, dexter stetit et 'cave faxis
 Te quicquam indignum. Pudor' inquit 'te malus
 angit,
 Insanos qui inter vereare insanus haberi. 40
 Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit
 in te
 Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
 Quem mala stultitia et quem cumque inscitia veri
 Caecum agit, insanum Chrysippi porticus et grex

- 45 Autumat. Haec populos, haec magnos formula
reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes aequae ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
50 Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit, unus utriusque
Error, sed variis inludit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiae nihilum metuenda timentis, ut ignes,
55 Vt rupes fluviosque in campo obstare queratur.
Alterum et huic varum et nihilo sapientius ignes
Per medios fluviosque ruentis: clamet amica
Mater, honesta soror cum cognatis, pater, uxor
'Hic fossa est ingens, hic rupes maxima: serva!'
60 Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim,
Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis
'Mater, te adpello' clamantibus. Huic ego volgus
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo:
65 Integer est mentis Damasippi creditor? Esto.
'Accipe quod numquam reddas mihi' si tibi dicam:
Tunc insanus eris si acceperis, an magis excors
Reiecta praeda, quam praesens Mercurius fert?
Scribe decem a Nerio: non est satis; adde Cicutae
70 Nodosi tabulas centum, mille adde catenas;
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in ius malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet,
arbor.
Si male rem gerere insanist, contra bene, sani:
75 Putidius multo cerebrumst, mihi crede, Perilli
Dictantis, quod tu numquam rescribere possis.
Audire atque togam iubeo componere, quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione
80 Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,

Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Dandast ellebori multo pars maxima avaris;
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Heredes Staberi summam incidere sepulcro,
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum 85
Damnati populo paria atque epulum arbitrio Arri,
Frumenti quantum metit Africa. 'Sive ego prave
Seu recte hoc volui, ne sis patruus mihi.' Credo,
Hoc Staberi prudentem animum vidisse. 'Quid ergo
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo 90
Heredes voluit?' Quo ad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium et cavit nihil acrius, ut, si
Forte minus locuples uno quadrante perisset,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris 95
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus. 'Sapiensne?' Etiam,
et rex
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnae laudi fore. Quid simile isti
Graecus Aristippus? qui servos proicere aurum 100
In media iussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes. Vter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Siquis emat citharas, emptas conportet in unum,
Nec studio citharae nec Musae deditus ulli, 105
Si scalpra et formas non sutor, nautica vela
Aversus mercaturis: delirus et amens
Vndique dicatur merito. Qui discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Conpositis metuensque velut contingere sacrum? 110
Siquis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste, neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum;
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positus intus Chii veterisque Falerni 115
Mille cadis, nihil est, tercentum milibus, acre
Potet acetum; age, si et stramentis incubet ulvae

- Octoginta annos natus, cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca:
120 Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.
Filius aut etiam haec libertus ut ebibat heres,
Dis inimice senex, custodis? Ne tibi desit?
Quantulum enim summae curtabit quisque dierum,
125 Vnguere si caules oleo meliore caputque
Coeperis inpexa foedum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Vndique? Tun sanus? Populum si caedere saxis
Incipias servosve tuos, quos aere pararis,
130 Insanum te omnes pueri clamentque puellae;
Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? Neque tu hoc
facis Argis,
Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente,
135 Ac non ante malis dementem actum Furius quam
In matris iugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin, ex quost habitus male tutae mentis Orestes,
Nil sane fecit quod tu reprehendere possis:
Non Pyladen ferro violare aususve sororem
140 Electram, tantum maledicit utrique vocando
Hanc Furiam, hunc aliud, iussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla vappamque profestis,
145 Quondam lethargo grandist oppressus, ut heres
Iam circum loculos et claves laetus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni iubet atque
Effundi saccos nummorum, accedere plures
150 Ad numerandum: hominem sic erigit; addit et illud:
'Ni tua custodis, avidus iam haec auferet heres.'
'Men vivo?' 'Vt vivas igitur, vigila. Hoc age.'
'Quid vis?'
'Deficient inopem venae te, ni cibus atque

- Ingens accedit stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? Agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.' 155
'Quanti emptaes?' 'Parvo.' Quanti ergo? 'Octussibus.'
'Eheu,
Quid refert, morbo an furtis pereamque rapinis?'
'Quisnam igitur sanus?' Qui non stultus. 'Quid
avarus?'
Stultus et insanus. 'Quid, si quis non sit avarus,
Continuo sanus?' Minime. 'Cur, Stoice?' Dicam. 160
Non est cardiacus (Craterum dixisso putato)
Hic aeger; rectest igitur, surgetque? Negabit,
Quod latus aut renes morbo temptentur acuto.
Non est periurus neque sordidus, inmolet aequis
Hic porcum Laribus; verum ambitiosus et audax: 165
Naviget Anticyram. Quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an numquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusi duo praedia, dives
Antiquo censu, natis divisisse duobus
Fertur et haec moriens pueris dixisse vocatis 170
Ad lectum: 'Postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi,
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem;
Extimui, ne vos ageret vesania discors,
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam. 175
Quare per divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas, tu ne maius facias id,
Quod satis esse putat pater et natura coerchet.
Praeterea ne vos titillet gloria, iure
Iurando obstringam ambo: uter aedilis fueritve 180
Vestrum praetor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in circo spatiere et aheneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis;
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu, 185
Astuta ingenuum volpes imitata leonem?'
'Nequis humasse velit Aiacem, Atrida, vetas cur?'
'Rex sum.' 'Nil ultra quaero plebeius.' 'Et aequam
Rem imperito; ac si cui videor non iustus, inulto

190 Dicere quod sentit permitto.' 'Maxime regum,
 Di tibi dent capta classem deducere Troia.
 Ergo consulere et mox respondere licebit?'
 'Consule.' 'Cur Ajax heros ab Achille secundus
 Putescit, totiens servatis clarus Achivis,
 195 Gaudeat ut populus Priami Priamusque inhumato,
 Per quem tot iuvenes patrio caruere sepulcro?'
 'Mille ovium insanus morti dedit, inclitum Vlixem
 Et Menelaum una mecum se occidere clamans.'
 'Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
 200 Ante aras spargisque mola caput, inprobe, salsa,
 Rectum animi servas? Quorsum? Insanus quid
 enim Ajax
 Fecit? Cum stravit ferro pecus, abstinuit vim
 Vxore et gnato; mala multa precatus Atridis,
 Non ille aut Teucrum aut ipsum violavit Vlixem.'
 205 'Verum ego, ut haerentes adverso litore naves
 Eriperem, prudens placavi sanguine divos.'
 'Nempe tuo, furiose?' 'Meo, sed non furiosus.'
 'Qui species alias veri scelerisque tumultu
 Permixtas capiet, commotus habebitur, atque
 210 Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
 Ajax cum inmeritos occidit, desipit agnos;
 Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
 Stas animo et purumst vitio tibi, cum tumidumst
 cor?'
 Siquis lectica nitidam gestare amet agnam,
 215 Huic vestem ut gnatae paret, ancillas paret, aurum,
 Rufam aut Posillam adpelle fortique marito
 Destinet uxorem: interdicto huic omne adimat ius
 Praetor et ad sanos abeat tutela propinquos.
 Quid, siquis gnatam pro muta devovet agna,
 220 Integer est animi? Ne dixeris. Ergo ubi prava
 Stultitia, hic summast insania; qui sceleratus,
 Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
 Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
 Nunc age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
 225 Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.

Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
 Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
 Vnguentarius ac Tusci turba impia vici,
 Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
 Mane domum veniant. Qui cum venere frequentes, 230
 Verba facit leno: 'Quidquid mihi, quidquid et horum
 Cuique domist, id crede tuum et vel nunc pete
 vel cras.'
 Accipe quid contra iuvenis responderit aequus.
 'In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
 Cenem ego; tu pisces hiberno ex aequore verris. 235
 Segnis ego, indignus qui tantum possideam: aufer.
 Sume tibi decies. Tibi tantundem. Tibi triplex,
 Vnde uxor media currit de nocte vocata.'
 Filius Aesopi detractam ex aure Metellae,
 Scilicet ut decies solidum absorberet, aceto 240
 Diluit insignem bacam: qui sanior, ac si
 Illud idem in rapidum flumen iaceretve cloacam?
 Quinti progenies Arri, par nobile fratrum,
 Nequitia et nugis, pravorum et amore gemellum,
 Lusciniis soliti impenso prandere coemtis, 245
 Quorsum abeant? Sanin creta an carbone notati?
 Aedificare casas, plostello adiungere mures,
 Ludere par inpar, equitare in arundine longa
 Siquem delectet barbatum: amentia verset.
 Si puerilius his ratio esse evincet amare, 250
 Nec quicquam differre, utrumne in pulvere, trimus
 Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
 Sollicitus piores: quaero, faciasne quod olim
 Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
 Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille 255
 Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
 Postquamst inpransi correptus voce magistri?
 Porrigis irato puero cum poma, recusat;
 'Sume, catelle': negat; si non des, optet. Amator
 Exclusus qui distat, agit ubi secum, eat an non, 260
 Quo rediturus erat non arcessitus, et haeret
 Invisis foribus? 'Ne nunc, cum me vocat ultro,

Accedam? An potius mediter finire dolores?
Exclusit; revocat: redeam? Non si obsecret. —
Ecce

265 Servus, non paulo sapientior 'o ere, quae res
Nec modum habet neque consilium, ratione
modoque

Tractari non volt. In amore haec sunt mala, bellum,
Pax rursus: haec si quis tempestatis prope ritu
Mobilia et caeca fluitantia sorte laboret

270 Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque?

Quid, cum Picenis excerpens semina pomis
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te's?
Quid? cum balba feris annoso verba palato,

275 Aedificante casas qui sanior? Adde cruorem
Stultitiae, atque ignem gladio scrutare modo;
in quem

Hellade percussa Marius cum praecipitat se,
Cerritus fuit? an commotae crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,

280 Ex more inponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat et 'unum,
Quid tam magnum?' addens, 'unum me surpitem
morti!

Dis etenim facilest' orabat, sanus utrisque

285 Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus, cum venderet. Hoc quoque
volgus

Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.
'Iuppiter, ingentes qui das adimisque dolores,'
Mater ait pueri menses iam quinque cubantis,

290 'Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus
In Tiberi stabit.' Casus medicusve levarit
Aegrum ex praecipiti: mater delira necabit
In gelida fixum ripa febrimque reducet.

295 Quone malo mentem concussa? Timore deorum.'

Haec mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.

Dixerit insanum qui me, totidem audiet atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.'

'Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris, 300
Qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.'

'Quid, caput abscissum manibus cum portat Agaue
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?'

'Stultum me fateor (liceat concedere veris) 305
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Aegrotare putes animi vitio.' 'Accipe: primum

Aedificas, hoc est longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis, et idem

Corpore maiorem rides Turbonis in armis 310
Spiritus et incessum: qui ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Maecenas, te quoque verumst

Tantum dissimilem et tanto certare minorem?
Absentis ranae pullis vituli pede pressis

Vnus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens 315
Belua cognatos eliserit: illa rogare,
Quantane? num tantum, sufflans se, magna fuisset?

'Maior.' 'Dimidio? — Num tanto?' 'Cum magis atque
Se magis inflaret, 'non, si te ruperis' inquit,

'Par eris.' Haec a te non multum abludit imago. 320
Adde poemata nunc, hoc est, oleum adde camino,
Quae si quis sanus facit, et sanus facies tu.

Non dico horrendam rabiem. 'Iam desine.' 'Cultum
Maiorem censu.' 'Teneas, Damasippe, tuis te.'

'Mille puellarum, puerorum mille furores.' 325
'O maior tandem parcas, insane, minori.'

Primus et invenior piper album cum sale nigro
 75 Incretum puris circumposuisse catillis.
 Inmanest vitium, dare milia terna macello
 Angustoque vagos pisces urguere catino.
 Magna movet stomacho fastidia, seu puer unctis
 Tractavit calicem manibus, dum frustra ligurrit,
 80 Sive gravis veteri craterae limus adhaesit.
 Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
 Consistit sumptus? Neglectis, flagitium ingens.
 Ten lapides varios lutulenta radere palma,
 Et Tyrias dare circum inlota toralia vestes,
 85 Oblitum, quanto curam sumptumque minorem
 Haec habeant, tanto reprehendi iustius illis,
 Quae nisi divitibus nequeant contingere mensis?
 'Docte Cati, per amicitiam divosque rogatus,
 Ducere me auditum, perges quocumque, memento.
 90 Nam quamvis memori referas mihi pectore cuncta,
 Non tamen interpretes tantundem iuveris. Adde
 Vultum habitumque hominis, quem tu vidisse beatus
 Non magni pendis, quia contigit; at mihi cura
 Non mediocris inest, fontes ut adire remotos
 85 Atque haurire queam vitae praecepta beatae.'

V.

'Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata petenti
 Responde, quibus amissas reparare queam res
 Artibus atque modis. Quid rides?' 'Iamne doloso
 Non satis est Ithacam revehi patriosque Penates
 5 Adspicere?' 'O nulli quicquam mentite, vides ut
 Nudus inopsque domum redeam; te vate neque illic
 Aut apotheca proci intactast aut pecus: atqui
 Et genus et virtus, nisi cum re, vilior algast.'
 'Quando pauperiem missis ambagibus horres,
 10 Accipe qua ratione queas ditescere. Turdus
 Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc,
 Res ubi magna nitet domino sene; dulcia poma

Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
 Ante Larem gustet venerabilior Lare dives;
 Qui quamvis periurus erit, sine gente, cruentus 15
 Sanguine fraterno, fugitivus, ne tamen illi
 Tu comes exterior, si postulet, ire recuses.
 'Vtne tegam spurco Damae latus? Haud ita Troiae
 Me gessi, certans semper melioribus.' 'Ergo
 Pauper eris.' 'Fortem hoc animum tolerare iubebo, 20
 Et quondam maiora tuli. Tu protinus, unde
 Divitias aerisque ruam, dic augur, acervos.'
 'Dixi equidem et dico: captes astutus ubique
 Testamenta senum, neu, si vafer unus et alter
 Insidiatorem praeroso fugerit hamo, 25
 Aut spem deponas aut artem inlusus omittas.
 Magna minorve foro si res certabitur olim:
 Vivet uter locuples sine gnatis, improbus, ultro
 Qui meliorem audax vocet in ius, illius esto
 Defensor; fama civem causaque priorem 30
 Sperne, domi si gnatus erit fecundave coniux.
 'Quinte' puta aut 'Publi' (gaudent praenomine
 molles
 Auriculae) 'tibi me virtus tua fecit amicum:
 Ius anceps novi, causas defendere possum;
 Eripiet quis oculos citius mihi quam te 35
 Contemptum cassa nuce pauperet: haec mea curast,
 Nequid tu perdas, neu sis iocus.' Ire domum atque
 Pelliculam curare iube; si cognitor ipse:
 Persta atque obdura, seu rubra Canicula findet
 Infantes statuas, seu pingui tentus omaso 40
 Furius hibernas cana nive conspuet Alpes.
 'Nonne vides' aliquis cubito stantem prope tangens
 Inquiet 'ut patiens, ut amicis aptus, ut acer?'
 Plures adnabunt thunni et cetaria crescent.
 Sicni praeterea validus male filius in re 45
 Praeclara sublatus aletur; ne manifestum
 Caelibis obsequium nudet te, leniter in spem
 Arrepe officiosus, ut et scribare secundus
 Heres et, siquis casus puerum egerit Oreo,

- 50 In vacuum venias: perraro haec alea fallit.
 Qui testamentum tradet tibi cumque legendum,
 Abnuere et tabulas a te remove memento,
 Sic tamen, ut limis rapias, quid prima secundo
 Cera velit versu; solus multisne coheres,
 55 Veloci percurre oculo. Plerumque recoctus
 Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem,
 Captatorque dabit risus Nasica Corano.
 'Num furis? an prudens ludis me obscura canendo?'
 'O Laertiade, quidquid dicam, aut erit aut non:
 60 Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.'
 'Quid tamen ista velit sibi fabula, si licet, ede.'
 'Tempore, quo iuvenis Parthis horrendus, ab alto
 Demissum genus Aenea, tellure marique
 Magnus erit, forti nubet proceras Corano
 65 Filia Nasicae, metuentis reddere soldum.
 Tum gener hoc faciet: tabulas socero dabit atque
 Vt legat orabit; multum Nasica negatas
 Accipiet tandem et tacitus leget, invenietque
 Nil sibi legatum praeter plorare suisque.
 70 Illud ad haec iubeo: mulier si forte dolosa
 Libertusve senem delirum temperet; illis
 Accedas socius, laudes, lauderis ut absens:
 Adiuvat hoc quoque, sed vincit longe prius ipsum
 Expugnare caput. Scribet mala carmina vecors:
 75 Laudato. Scortator erit: cave te roget: ultro
 Penelopam facilis potiori trade.' 'Putasne,
 Perduci poterit tam frugi tamque pudica,
 Quam nequiere proci recto depellere cursu?'
 'Venit enim magnum donandi parca iuventus,
 80 Nec tantum Veneris quantum studiosa culinae:
 Sic tibi Penelope frugist; quae si semel uno
 De sene gustarit tecum partita lucellum,
 Vt canis a corio numquam absterrebitur uncto.
 Me sene, quod dicam factumst: anus improba
 Thebis
 85 Ex testamento sic est elata: cadaver
 Vinctum oleo largo nudis umeris tulit heres,

Scilicet elabi si posset mortua; credo,
 Quod nimium institerat viventi. Cautus adito,
 Neu desis operae, neve immoderatus abundes.
 Difficilem et morosum offendes garrulus: ultra 90
 Non etiam sileas; Davus sis comicus atque
 Stes capite obstipo, multum similis metuenti.
 Obsequio grassare; mone, si increbuit aura,
 Cautus uti velet carum caput; extrahe turba
 Oppositis umeris; aurem substringe loquaci. 95
 Inportunus amat laudari: donec 'ohe!' iam
 Ad caelum manibus sublatis dixerit, urgue et
 Crescentem tumidis infla sermonibus utrem.
 Cum te servitio longo curaque levarit,
 Et certum vigilans 'quartae esto partis Vlixes' 100
 Audieris 'heres:' 'ergo nunc Dama sodalis
 Nusquamst? unde mihi tam fortem tamque fidelem?'
 Sparge subinde et, si paullum potes, inlacrima; e rest
 Gaudia prodentem voltum celare. Sepulcrum
 Permissum arbitrio sine sordibus exstrue: funus 105
 Egregie factum laudet vicinia. Siquis
 Forte coheredum senior male tussiet, huic tu
 Dic, ex parte tua seu fundi sive domus sit
 Emptor, gaudentem nummo te addicere. Sed me
 Imperiosa trahit Proserpina: vive valeque.'

VI.

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
 Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
 Et paullum silvae super his foret. Auctius atque
 Di melius fecere. Benest. Nil amplius oro,
 Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis. 5
 Si neque maiorem feci ratione mala rem,
 Nec sum facturus vitio culpave minorem;
 Si veneror stultus nihil horum 'o si angulus ille
 Proximus accedat qui nunc denormat agellum!
 O si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi, 10

Thesauro invento qui mercennarius agrum
 Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
 Hercule! si, quod adest, gratum iuvat; hac prece
 te oro:

- Pingue pecus domino facias et cetera praeter
 15 Ingenium, utque soles custos mihi maximus adsis!
 Ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
 Quid prius inlustrem satiris Musaque pedestri?
 Nec mala me ambitio perdit nec plumbeus Auster
 Autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
 20 Matutine pater, seu Iane libentius audis,
 Vnde homines operum primos vitaeque labores
 Instituunt (sic dis placitum), tu carminis esto
 Principium. Romae sponsorem me rapis. 'Eia,
 Ne prior officio quisquam respondeat, urge.'
 25 Sive Aquilo radit terras seu bruma nivalem
 Interiore diem gyro trahit, ire necessest.
 Postmodo, quod mi obsit, clare certumque locuto
 Luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
 'Quid vis, insane, et quas res agis?' improbus arguet
 30 Iratis precibus: 'tu pulses omne quod obstat,
 Ad Maecenatem memori si mente recurras.'
 Hoc iuvat et mellist, non mentiar. At simul atras
 Ventumst Esquilias, aliena negotia centum
 Per caput et circa saliunt latus. 'Ante secundam
 35 Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras.
 De re communi scribae magna atque nova te
 Orabant hodie meminisses, Quinte, reverti.
 Inprimat his, cura, Maecenas signa tabellis
 Dixeris, experiar: 'si vis, potes,' addit et inscat.
 40 Septimus octavo propior iam fugerit annus,
 Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
 In numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere raeda
 Vellet iter faciens, et cui concedere nugas
 Hoc genus: 'Hora quotast? Thrax est Gallina
 Syro par?
 45 Matutina parum cautos iam frigora mordent.'
 Et quae rimosa bene deponuntur in aure.

Per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
 Invidiae noster. Ludos spectaverat una,
 Luserat in campo: 'Fortunae filius!' omnes.
 Frigidus a rostris manat per compita rumor: 50
 Quicumque obvius est, me consulit: 'o bone, nam te
 Scire, deos quoniam propius contingis, oportet,
 Numquid de Dacis audisti?' 'Nil equidem.' 'Vt tu
 Semper eris derisor.' 'At omnes di exagitent me,
 Si quicumquam.' 'Quid? militibus promissa Triquetra 55
 Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?'
 Iurantem me scire nihil mirantur, ut unum
 Scilicet egregii mortalem altique silenti.
 Perdatur haec inter misero lux non sine votis:
 Orus, quando ego te adspiciam, quandoque licebit 60
 Nunc veterum libris nunc somno et inertibus horis
 Ducere sollicitae iucunda obliviae vitae?
 O quando faba Pythagorae cognata simulque
 Vincta satis pingui ponentur oluscula lardo?
 O noctes cenaque deum, quibus ipse meique 65
 Ante Larem proprium vescor vernasque procaces
 Pasco libatis dapibus. Pro ut cuique libidost,
 Siccat inaequales calices conviva solutus
 Legibus insanis, seu quis capit acria fortis
 Pocula seu modicis uvescit laetius. Ergo 70
 Sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
 Nec male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
 Pertinet et nescire malumst, agitamus, utrumne
 Divitiis homines an sint virtute beati;
 Quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos; 75
 Et quae sit natura boni summumque quid eius.
 Cervius haec inter vicinus garrat aniles
 Ex re fabellas. Siquis nam laudat Arelli
 Sollicitas ignarus opes, sic incipit 'olim
 Rusticus urbanum murem mus paupere fertur 80
 Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
 Asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
 Solveret hospitium animum. Quid multa? neque ille
 Sedit ciceris nec longae invidit avenae,

- 35 Audit? cum magno blateras clamore fugisque.
 Mulvius et scurrae, tibi non referenda precati,
 Discedunt. 'Etenim fateor me' dixerit ille,
 'Duci ventre levem, nasum nidore supinor,
 Imbecillus, iners, siquid vis, adde, popino.
- 40 Tu cum sis quod ego te fortassis nequior, ultro
 Insectere velut melior, verbisque decoris
 Obvolvas vitium? Quid, si me stultior ipso
 Quingentis empto drachmis deprenderis? Aufer
 Me vultu terrere; manum stomachumque teneto,
- 45 Dum, quae Crispini docuit me ianitor, edo.
 Te coniux aliena capit, meretricula Davum:
 Peccat uter nostrum cruce dignius? Acris ubi me
 Natura intendit, sub clara nuda lucerna
 Quaecumque exceptit turgentis verbera caudae
- 50 Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum,
 Dimittit neque famosum neque sollicitum, ne
 Ditiore aut formae melioris meiat eodem.
 Tu cum proiectis insignibus, anulo equestri
 Romanoque habitu, prodis ex iudice Dama
- 55 Turpis, odoratum caput obscurante lacerna:
 Non es quod simulas? Metuens induceris atque
 Altercante libidinibus tremis ossa pavore.
 Quid refert, uri virgis ferroque necari
 Auctoratus eas, an turpi clausus in arca,
- 60 Quo te demisit peccati conscia erilis,
 Contractum genibus tangas caput? Estne marito
 Matronae peccantis in ambo iusta potestas?
 In corruptorem vel iustior. Illa tamen se
 Non habitu mutatae loco peccatae † superne,
- 65 Cum te formidet mulier neque credat amanti.
 Ibis sub furcam prudens, dominoque furenti
 Committes rem omnem et vitam et cum corpore
 famam.
- Evasti: credo, metues doctusque cavebis;
 Quaeres, quando iterum paveas iterumque perire
- 70 Possis, o totiens servus! Quae belua, ruptis
 Cum semel effugit, reddit se prava catenis?

- 'Non sum moechus' ais. Neque ego, hercule, fur,
 ubi vasa
 Praetereo sapiens argentea. Tolle periculum;
 Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.
- Tunc mihi dominus, rerum imperiis hominumque 75
 Tot tantisque minor, quem ter vindicta quaterque
 Inposita haud umquam misera formidine privet?
 Adde super, dictis quod non levius valeat: nam,
 Sive vicarius est, qui servo paret, uti mos
 Vester ait, seu conservus; tibi quid sum ego? 80
 Nempe
- Tu, mihi qui imperitas, aliis servis miser atque
 Duceris ut nervis alienis mobile lignum.
 Quisnam igitur liber? Sapiens, sibi qui imperiosus,
 Quem neque pauperies neque mors neque vincula
 terrent,
- Responsare cupidinibus, contemnere honores 85
 Fortis, et in se ipso totus, teres atque rotundus,
 Externi nequid valeat per leve morari,
 In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
 Ex his ut proprium quid noscere? Quinque talenta
 Poscit te mulier, vexat foribusque repulsum 90
 Perfundit gelida, rursus vocat: eripe turpi
 Colla iugo, 'liber, liber sum,' dic age! Non quis:
 Vrguet enim dominus mentem non lenis et acres
 Subiectat lasso stimulos versatque negantem.
 Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella, 95
 Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubaeque
 Aut Placideiani contento poplite miror
 Proelia rubrica picta aut carbone, velut si
 Re vera pugnent, feriant vitentque moventes
 Arma viri? Nequam et cessator Davus; at ipse 100
 Subtilis veterum iudex et callidus audis.
 Nil ego, si ducor libo fumante: tibi ingens
 Virtus atque animus cenis responsat opimis?
 Obsequium ventris mihi perniciosius est cur?
 Tergo plector enim. Qui tu inpunitior illa, 105
 Quae parvo sumi nequeunt, obsonia captas?

Nempe inamascunt epulae sine fine petitae,
 Inlusique pedes vitiosum ferre recusant
 Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
 110 Furtiva mutat strigili: qui praedia vendit,
 Nil servile gulae parens habet? Adde, quod idem
 Non horam tecum esse potes, non otia recte
 Ponere, teque ipsum vitas fugitivus et erro,
 Iam vino quaerens, iam somno fallere curam;
 115 Frustra: nam comes atra premit sequiturque
 fugacem.'

'Vnde mihi lapidem?' 'Quorsumst opus?' 'Vnde
 sagittas?'

'Aut insanit homo aut versus facit.' 'Ocius hinc te
 Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.'

VIII.

'Vt Nasidieni invit te cena beati?
 Nam mihi quaerenti convivam dictus here illic
 De medio potare die.' 'Sic, ut mihi numquam
 In vita fuerit melius.' 'Da, si grave non est,
 5 Quae prima iratum ventrem placaverit esca.'
 'In primis Lucanus aper: leni fuit Austro
 Captus, ut aiebat cenae pater: acria circum
 Rapula, lactucae, radices, qualia lassum
 Pervellunt stomachum, siser, allec, faecula Coa.
 10 His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
 Gausape purpureo mensam pertersit, et alter
 Sublegit quodcumque iaceret inutile quodque
 Posset cenantes offendere; ut Attica virgo
 Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes,
 15 Caecuba vina ferens, Alcon Chium maris experts.
 Hic erus 'Albanum, Maecenas, sive Falernum,
 'Te magis adpositis delectat: habemus utrumque.'
 'Divitias miseras! Sed quis cenantibus una,
 Fundani, pulchre fuerit tibi, nosse laboro.'
 20 'Summus ego et prope me Viscus Thurinus et infra,

Si memini, Varius, cum Servilio Balatrone
 Vibidius, quas Maecenas adduxerat umbras.
 Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
 Ridiculus totas simul absorbere placentas.
 Nomentanus ad hoc, qui, siquid forte lateret, 25
 Indice monstraret digito: nam cetera turba,
 Nos, inquam, cenamus aves, conchylia, pisces,
 Longe dissimilem noto celantia sucum,
 Vt vel continuo patuit, cum passeris atque
 Ingustata mihi porrexerat ilia rhombi. 30
 Post hoc me docuit, melimela rubere minorem
 Ad lunam delecta. Quid hoc intersit, ab ipso
 Audieris melius. Tum Vibidius Balatroni:
 'Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti,'
 Et calices poscit maiores. Vertere pallor 35
 Tum parochi faciem, nil sic metuentis ut acres
 Potores, vel quod maledicunt liberius vel
 Fervida quod subtile exsurdant vina palatum.
 Invertunt Allifanis vinaria tota
 Vibidius Balatroque, secutis omnibus; imi 40
 Convivae lecti nihilum nocuere lagoenis.
 Adfertur squillas inter murena natantes
 In patina porrecta. Sub hoc erus 'haec gravida' inquit
 'Captast, deterior post partum carne futura.
 His mixtum ius est: oleo, quod prima Venafri 45
 Pressit cella; garo de sucis piscis Hiberi;
 Vino quinquenni, verum citra mare nato,
 Dum coquitur — cocto Chium sic convenit, ut non
 Hoc magis ullum aliud —; pipere albo, non sine aceto,
 Quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam. 50
 Erucas virides, inulas ego primus amaras
 Monstravi incoquere; inlotos Curtillus echinos,
 Vt melius muria quod testa marina remittat.'
 Interea suspensa graves aulaea ruinas
 In patinam fecere, trahentia pulveris atri 55
 Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
 Nos maius veriti, postquam nihil esse pericli
 Sensimus, erigimur; Rufus posito capite, ut si

- Filius immaturus obisset, flere. Quis esset
 60 Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
 Tolleret: 'heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
 Te deus? Vt semper gaudes inludere rebus
 Humanis!' Varius mappa conpescere risum
 Vix poterat. Balatro suspendens omnia naso
 65 'Haec est condicio vivendi' aiebat, 'eoque
 Responsura tuo numquamst par fama labori.
 Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
 Sollicitudine districtum, ne panis adustus,
 Ne male conditum ius adponatur, ut omnes
 70 Praecinctorum recte pueri comptique ministrent?
 Adde hos praeterea casus, aulaea ruant si,
 Vt modo; si patinam pede lapsus frangat agaso.
 Sed convivatoris, uti ducis, ingenium res
 Adversae nudare solent, celare secundae.'
 75 Nasidienus ad haec: 'tibi di, quaecumque preceris,
 Commoda dent: ita vir bonus es convivaque comis;
 Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
 Stridere secreta divisos aure susurros.'
 'Nullos his mallet ludos spectasse; sed illa
 80 Redde, age, quae deinceps risisti.' 'Vibidius dum
 Quaerit de pueris, num sit quoque fracta lagoena,
 Quod sibi poscenti non dantur pocula, dumque
 Ridetur fictis rerum Balatrone secundo,
 Nasidiene, redis mutatae frontis, ut arte
 85 Emendaturus fortunam; deinde secuti
 Mazonomo pueri magno discerpta ferentes
 Membra gruis sparsi sale multo, non sine farre,
 Pinguibus et ficis pastum iecur anseris albae,
 Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos,
 90 Quam si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
 Vidimus et merulas poni et sine clune palumbes,
 Suaves res, si non causas narraret earum et
 Naturas dominus, quem nos sic fugimus ulti,
 Vt nihil omnino gustaremus, velut illis
 95 Canidia adflasset peior serpentibus Afris.'

EPISTVLARVM

LIBER PRIMVS.

I.

Prima dicte mihi, summa dicende Camena,
 Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
 Maecenas, iterum antiquo me includere ludo?
 Non eademst aetas, non mens. Veianius armis
 Herculis ad postem fixis latet abditus agro, 5
 Ne populum extrema totiens exoret arena.
 Est mihi purgatam crebro qui personet aurem:
 'Solve senescentem mature sanus equum, ne
 Peccet ad extremum ridendus et ilia ducat.'
 Nunc itaque et versus et cetera ludicra pono; 10
 Quid verum atque decens, curo et rogo, et omnis
 in hoc sum;
 Condo et conpono quae mox depromere possim.
 Ac ne forte roges, quo me duce, quo Lare tuter:
 Nullius addictus iurare in verba magistri,
 Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes. 15
 Nunc agilis fio et mersor civilibus undis,
 Virtutis verae custos rigidusque satelles;
 Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor,
 Et mihi res, non me rebus subiungere conor.
 Vt nox longa quibus mentitur amica, diesque 20
 Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
 Pupillis, quos dura premit custodia matrum:
 Sic mihi tarda fluunt ingrataque tempora, quae spem
 Consiliumque morantur agendi gnaviter id quod
 Aequae pauperibus prodest, locupletibus aequae, 25
 Aequae neglectum pueris senibusque nocebit.

- Restat, ut his ego me ipse regam solerque
elementis.
- Non possis oculo quantum contendere Lynceus:
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi;
- 30 Nec, quia desperes invicti membra Glyconis,
Nodosa corpus nolis prohibere cheragra.
Est quadam prodire tenus, si non datur ultra.
Fervet avaritia miseroque cupidine pectus:
Sunt verba et voces, quibus hunc lenire dolorem
- 35 Possis et magnam morbi deponere partem.
Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
Ter pure lecto poterunt recreare libello.
Invidus, iracundus, iners, vinosus, amator,
Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit,
- 40 Si modo culturae patientem commodet aurem.
Virtus est vitium fugere et sapientia prima
Stultitia caruisse. Vides, quae maxima credis
Esse mala, exiguum censum turpemque repulsam,
Quanto devites animi capitisque labore;
- 45 Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes:
Ne cures ea, quae stulte miraris et optas,
Discere et audire et meliori credere non vis?
Quis circum pagos et circum compita pugnax
- 50 Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,
Cui sit condicio dulcis sine pulvere palmae?
Vilius argentumst auro, virtutibus aurum:
'O cives, cives, quaerenda pecunia primumst;
Virtus post nummos;' haec Ianus summus ab imo
- 55 Prodocet, haec recinunt iuvenes dictata senesque.
[Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.]
Est animus tibi, sunt mores, est lingua fidesque,
Sed quadringentis sex septem milia desunt:
Plebs eris. At pueri ludentes 'rex eris' aiunt,
- 60 'Si recte facies.' Hic murus aheneus esto:
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex an puerorumst
Nenia, quae regnum recte facientibus offert,

- Et maribus Curiis et decantata Camillis?
Isne tibi melius suadet, qui 'rem facias, rem, 65
Si possis, recte, si non, quocumque modo rem,
Vt propius spectes lacrimosa poemata Pupi;
An qui Fortunae te responsare superbae
Liberum et erectum praesens hortatur et aptat?
Quodsi me populus Romanus forte roget, cur 70
Non ut porticibus sic iudiciis fruar isdem,
Nec sequar aut fugiam quae diligit ipse vel odit:
Olim quod volpes aegroto cauta leoni
Respondit, referam: 'quia me vestigia terrent,
Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.' 75
Belua multorum es capitum. Nam quid sequar
aut quem?
- Pars hominum gestit conducere publica; sunt qui
Crustis et pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque senes, quos in vivaria mittant;
Multis occulto crescit res fenore. Verum 80
Esto aliis alios rebus studiisque teneri:
Idem eadem possunt horam durare probantes?
'Nullus in orbe sinus Bais praelucet amoenis'
Si dixit dives: lacus et mare sentit amorem
Festinantis eri; cui si vitiosa libido 85
Fecerit auspicium, 'cras ferramenta Teanum
Tolletis, fabri.' Lectus genialis in aulast:
Nil ait esse prius, melius nil caelibe vita;
Si non est, iurat bene solis esse maritis.
Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? 90
Quid pauper? Ride: mutat cenacula, lectos,
Balnea, tonsores, conducto navigio aequae
Nauseat ac locuples, quem ducit priva triremis.
Si curatus inaequali tonsore capillos
Occurri, rides, si forte subucula pexae 95
Trita subest tunicae, vel si toga dissidet inpar,
Rides: quid? mea cum pugnat sententia secum,
Quod petiit spernit, repetit quod nuper omisit,
Aestuat et vitae disconvenit ordine toto,
Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis; 100

Insanire putas sollemnia me neque rides,
 Nec medici credis nec curatoris egere
 A praetore dati, rerum tutela mearum
 Cum sis et prave sectum stomacheris ob unguem
 105 De te pendentis, te respicientis amici?
 Ad summam: sapiens uno minor est Iove, dives,
 Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
 Praecipue sanus, nisi cum pituita molestast.

II.

Troiani belli scriptorem, maxime Lolli,
 Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi,
 Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile,
 quid non,
 Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.
 5 Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi.
 Fabula, qua Paridis propter narratur amorem
 Graecia barbariae lento collisa duello,
 Stultorum regum et populorum continet aestus.
 Antenor censet belli praecidere causam:
 10 Quod Paris, ut salvus regnet vivatque beatus,
 Cogi posse negat. Nestor componere lites
 Inter Peliden festinat et inter Atriden.
 Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
 Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.
 15 Seditio, dolis, scelere atque libidine et ira
 Iliacos intra muros peccatur et extra.
 Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,
 Vtile proposuit nobis exemplar Vlixem,
 Qui domitor Troiae multorum providus urbes
 20 Et mores hominum inspexit, latumque per aequor,
 Dum sibi, dum sociis reditum parat, aspera multa
 Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.
 Sirenum voces et Circae pocula nosti;
 Quae si cum sociis stultus cupidusque bibisset,
 25 Sub domina meretrice fuisset turpis et excors,

Vixisset canis immundus vel amica luto sus.
 Nos numerus sumus et fruges consumere nati,
 Sponsi Penelopae, nebulones, Alcinoique
 In cute curanda plus aequo operata iuventus,
 Cui pulchrum fuit in medios dormire dies et 30
 Ad strepitum citharae cessantem ducere somnum.
 Vt iugulent hominem, surgunt de nocte latrones:
 Vt te ipsum serves, non expergisceris? Atqui
 Si noles sanus, curres hydropicus; et ni
 Posces ante diem librum cum lumine, si non 35
 Intendes animum studiis et rebus honestis,
 Invidia vel amore vigil torquebere. Nam cur,
 Quae laedunt oculum, festinas demere; siquid
 Est animum, differs curandi tempus in annum?
 Dimidium facti, qui coepit, habet: sapere aude; 40
 Incipe. Qui recte vivendi prorogat horam,
 Rusticus exspectat, dum defluat amnis; at ille
 Labitur et labetur in omne volubilis aevum.
 Quaeritur argentum puerisque beata creandis
 Vxor, et incultae pacantur vomere silvae: 45
 Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.
 Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
 Aegroti domini deduxit corpore febres,
 Non animo curas: valeat possessor oportet,
 Si comportatis rebus bene cogitat uti. 50
 Qui cupit aut metuit, iuvat illum sic domus et res,
 Vt lippum pictae tabulae, fomenta podagrum,
 Auriculas citharae collecta sorde dolentes.
 Sincerumst nisi vas, quodecumque infundis acescit.
 Sperne voluptates: nocet empti dolore voluptas. 55
 Semper avarus eget: certum voto pete finem.
 Invidus alterius macrescit rebus opimis;
 Invidia Siculi non invenere tyranni
 Maius tormentum. Qui non moderabitur irae,
 Infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens, 60
 Dum poenas odio per vim festinat inulto.
 Ira furor brevis est: animum rege; qui nisi paret,
 Imperat: hunc frenis, hunc tu conpesce catena.

Fingit equum tenera docilem cervice magister
 65 Ire viam qua monstret eques; venaticus, ex quo
 Tempore cervinam pellem latravit in aula,
 Militat in silvis catulus. Nunc adhibe puro
 Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
 Quo semel est imbuta recens servabit odorem
 70 Testa diu. Quodsi cessas aut strenuus antis,
 Nec tardum opperier nec praecedentibus insto.

III.

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
 Claudius Augusti privignus, scire laboro.
 Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus,
 An freta vicinas inter currentia turres,
 5 An pingues Asiae campi collesque morantur?
 Quid studiosa cohors operum struit? hoc quoque
 curo.
 Quis sibi res gestas Augusti scribere sumit?
 Bella quis et paces longum diffundit in aevum?
 Quid Titius Romana brevi venturus in ora?
 10 Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
 Fastidire lacus et rivos ausus apertos.
 Ut valet? ut meminit nostri? Fidibusne Latinis
 Thebanos aptare modos studet auspice Musa,
 An tragica desaevit et ampullatur in arte?
 15 Quid mihi Celsus agit? monitus multumque
 monendus,
 Privatas ut quaerat opes et tangere vitet
 Scripta, Palatinus quaecumque recepit Apollo,
 Ne, si forte suas repetitum venerit olim
 Grex avium plumas, moveat cornicula risum
 20 Furtivis nudata coloribus. Ipse quid audes?
 Quae circumvolitas agilis thyma? Non tibi parvum
 Ingenium, non incultumst et turpiter hirtum:
 Seu linguam causis acuis seu civica iura

Respondere paras seu condis amabile carmen,
 Prima feres hederæ victricis praemia. Quodsi 25
 Frigida curarum fomenta relinquere posses:
 Quo te caelestis sapientia duceret, ires.
 Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli,
 Si patriae volumus, si nobis vivere cari.
 Debes hoc etiam rescribere, sit tibi curae, 30
 Quantae conveniat, Munatius, an male sarta
 Gratia nequiquam coit et rescinditur, ac vos
 Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat
 Indomita cervice feros? Vbicumque locorum
 Vivitis, indigni fratrum rumpere foedus, 35
 Pascitur in vestrum reditum votiva iuvenca.

III.

Albi, nostrorum sermonum candide iudex,
 Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
 Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat,
 An tacitum silvas inter reptare salubres,
 Curantem quidquid dignum sapiente bonoquest? 5
 Non tu corpus eras sine pectore. Di tibi formam,
 Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.
 Quid voveat dulci nutricula maius alumno,
 Qui sapere et fari possit quae sentiat, et cui
 Gratia, fama, valetudo contingat abunde, 10
 Et mundus victus non deficiente crumena?
 Inter spem curamque, timores inter et iras
 Omnem crede diem tibi diluxisse supremum:
 Grata superveniet, quae non sperabitur hora.
 Me pinguem et nitidum bene curata cute vises, 15
 Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

V.

Si potes Archiacis conviva recumbere lectis
 Nec modica cenare times olus omne patella,
 Supremo te sole domi, Torquate, manebo.
 Vina bibes iterum Tauro diffusa palustres
 5 Inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.
 Si melius quid habes, arcesse vel imperium fer.
 Iandudum splendet focus et tibi munda supellex.
 Mitte leves spes et certamina divitiarum
 Et Moschi causam: cras nato Caesare festus
 10 Dat veniam somnumque dies, inpune licebit
 † Aestivam sermone benigno tendere noctem.
 Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?
 Parcus ob heredis curam nimiumque severus
 Adsidet insano: potare et spargere flores
 15 Incipiam patiarque vel inconsultus haberi.
 Quid non ebrietas dissignat? operata recludit,
 Spes iubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,
 Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.
 Fecundi calices quem non fecere disertum,
 20 Contracta quem non in paupertate solutum?
 Haec ego procurare et idoneus imperor et non
 Invitus, ne turpe toral, ne sordida mappa
 Corruget nares, ne non et cantharus et lanx
 Ostendat tibi te, ne fidos inter amicos
 25 Sit qui dicta foras eliminat, ut coeat par
 Iungaturque pari. Butram tibi Septiciumque
 Et nisi cena prior potiorque puella Sabinum
 Detinet adsumam; locus est et pluribus umbris,
 Sed nimis arta premunt olidae convivia caprae.
 30 Tu quotus esse velis rescribe et rebus omissis
 Atria servantem postico falle clientem.

VI.

Nil admirari prope res est una, Numici,
 Solaque, quae possit facere et servare beatum.
 Hunc solem et stellas et decedentia certis
 Tempora momentis sunt qui formidine nulla
 Imbuti spectent: quid censes munera terrae? 5
 Quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?
 Ludicra quid, plausus et amici dona Quiritis?
 Quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
 Qui timet his adversa, fere miratur eodem,
 Quo cupiens, pacto; pavor est utrobique molestus, 10
 Improvisa simul species externat utrumque.
 Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,
 Si, quidquid vidit melius peiusve sua spe,
 Defixis oculis animoque et corpore torpet?
 15 Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui,
 Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.
 In nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes
 Suspice, cum gemmis Tyrios mirare colores;
 Gaude quod spectant oculi te mille loquentem;
 20 Gnavus mane forum et vespertinus pete tectum,
 Ne plus frumenti dotalibus emetat agris
 Mutus et (indignum, quod sit peioribus ortus)
 Hic tibi sit potius quam tu mirabilis illi.
 Quidquid sub terrast, in apricum proferet aetas;
 Defodiet condetque nitentia. Cum bene notum 25
 Porticus Agrippae et via te conspexerit Appi,
 Ire tamen restat, Numa quo devenit et Ancus.
 Si latus aut renes morbo temptantur acuto,
 Quaere fugam morbi. Vis recte vivere: quis non?
 Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis 30
 Hoc age deliciis. Virtutem verba putas et
 Lucum ligna: cave ne portus occupet alter,
 Ne Cibratica, ne Bithyna negotia perdas;
 Mille talenta rotundentur, totidem altera, porro et
 Tertia succedant, et quae pars quadret acervum. 35
 Scilicet uxorem cum dote fidemque et amicos

Et genus et formam regina Pecunia donat,
 Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque.
 Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex:
 40 Ne fueris hic tu. Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
 Si posset centum scaenae praebere rogatus,
 'Qui possum tot?' ait; 'tamen et quaeram, et
 quot habebo
 Mittam;' post paulo scribit, sibi milia quinque
 Esse domi chlamydum, partem vel tolleret omnes.
 45 Exilis domus est, ubi non et multa supersunt
 Et dominum fallunt et prosunt furibus. Ergo
 Si res sola potest facere et servare beatum,
 Hoc primus repetas opus, hoc postremus omittas.
 Si fortunatum species et gratia praestat,
 50 Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
 Qui fodicet latus et cogat trans pondera dextram
 Porrigere 'hic multum in Fabia valet, ille Velina;
 Cui libet hic fasces dabit, eripietque curule
 Cui volet inportunus ebur.' 'Frater' 'pater' adde;
 55 Vt cuiquest aetas, ita quemque facetus adopta.
 Si bene qui cenat bene vivit, lucet, eamus
 Quo ducit gula; piscemur, venemur, ut olim
 Gargilius, qui mane plagas, venabula, servos,
 Differtum transire forum populumque iubebat,
 60 Vnus ut e multis populo spectante referret
 Emptum mulus aprum. Crudi tumidique lavemur,
 Quid deceat, quid non obliti, Caerite cera
 Digni, remigium vitiosum Ithacensis Vlixii,
 Cui potior patria fuit interdicta voluptas.
 65 Si, Mimnermus uti censet, sine amore iocisque
 Nil est iucundum, vivas in amore iocisque.
 Vive, vale. Siquid novisti rectius istis,
 Candidus inperti; si non, his utere mecum.

VII.

Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
 Sextilem totum mendax desideror. Atqui
 Si me vivere vis sanum recteque valentem,
 Quam mihi das aegro, dabis aegrotare timenti,
 Maecenas, veniam, dum ficus prima calorque 5
 Dissignatorem decorat lictoribus atris,
 Dum pueris omnis pater et matercula pallet,
 Officiosaque sedulitas et opella forensis
 Adducit febres et testamenta resignat.
 Quodsi bruma nives Albanis inlinet agris, 10
 Ad mare descendet vates tuus et sibi parcat
 Contractusque leget; te, dulcis amice, reviset
 Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima.
 Non quo more piris vesci Calaber iubet hospes
 Tu me fecisti locupletem. 'Vescere, sodes.' 15
 'Iam satis est.' 'At tu, quantum vis, tolle.' 'Benigne'
 'Non invisa feres pueris munuscula parvis.'
 'Tam teneor dono, quam si dimittar onustus.'
 'Ut libet: haec porcis hodie comedenda relinques.'
 Prodigus et stultus donat quae spernit et odit: 20
 Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis.
 Vir bonus et sapiens dignis ait esse paratus,
 Nec tamen ignorat quid distent aera lupinis.
 Dignum praestabo me etiam pro laude merentis.
 Quodsi me noles usquam discedere, reddes 25
 Forte latus, nigros angusta fronte capillos,
 Reddes dulce loqui, reddes ridere decorum et
 Inter vina fugam Cinarae maerere protervae.
 Forte per angustam tenuis nitedula rimam
 Repserat in cumeram frumenti, pastaque rursus 30
 Ire foras pleno tendebat corpore frustra;
 Cui mustela procul 'si vis' ait 'effugere istine,
 Macra cavum repetes artum, quem macra subisti.'
 Hae ego si compellor imagine, cuncta resigno:
 Nec somnum plebis laudo satur altitium nec 35
 Otia divitiis Arabum liberrima muto.

- Saepe verecundum laudasti, rexque paterque
 Audisti coram, nec verbo parcius absens:
 Inspice, si possum donata reponere laetus.
- 40 Haud male Telemachus, proles patientis Vlixi:
 'Non est aptus equis Ithace locus, ut neque planis
 Porrectus spatiis nec multae prodigus herbae;
 Atride, magis apta tibi tua dona relinquam.'
 Parvum parva decent: mihi iam non regia Roma,
- 45 Sed vacuum Tibur placet aut inbelle Tarentum.
 Strenuus et fortis causisque Philippus agendis
 Clarus, ab officiis octavam circiter horam
 Dum redit atque Foro nimium distare Carinas
 Iam grandis natu queritur, conspexit, ut aiunt,
- 50 Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra
 Cultello proprios purgantem leniter ungues.
 'Demetri,' (puer hic non laeve iussa Philippi
 Accipiebat) 'abi, quaere et refer, unde domo, quis,
 Cuius fortunae, quo sit patre quove patrono.'
- 55 It, redit et narrat, Vulteium nomine Menam,
 Praeconem, tenui censu, sine crimine, notum
 Et properare loco et cessare, et quaerere et uti,
 Gaudentem parvisque sodalibus et lare certo
 Et ludis et post decisa negotia Campo.
- 60 'Scitari libet ex ipso quodcumque refers: dic,
 Ad cenam veniat.' Non sane credere Mena,
 Mirari secum tacitus. Quid multa? 'Benigne'
 Respondet. 'Neget ille mihi?' 'Negat improbus,
 et te
 Negligit aut horret.' Vulteium mane Philippus
- 65 Vilia vendentem tunicato scruta popello
 Occupat et salvere iubet prior; ille Philippo
 Excusare laborem et mercennaria vincla,
 Quod non mane domum venisset, denique quod non
 Providisset eum. 'Sic ignovisse putato
- 70 Me tibi, si cenas hodie mecum.' 'Vt libet.'
 'Ergo
 Post nonam venies; nunc i, rem strenuus auge.'
 Vt ventum ad cenamst, dicenda tacenda locutus

Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi saepe
 Occultum visus decurrere piscis ad hamum,
 Mane cliens et iam certus conviva, iubetur 75
 Rura suburbana indictis comes ire Latinis:
 Inpositus mannis arvum caelumque Sabinum
 Non cessat laudare. Videt ridetque Philippus,
 Et sibi dum requiem, dum risus undique quaerit,
 Dum septem donat sestertia, mutua septem 80
 Promittit, persuadet uti mercetur agellum.
 Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra
 Quam satis est morer: ex nitido fit rusticus atque
 Sulcos et vineta crepat mera, praeparat ulmos,
 Inmoritur studiis et amore senescit habendi. 85
 Verum ubi oves furto, morbo periere capellae,
 Spem mentita seges, bos est enectus arando;
 Offensus damnis media de nocte caballum
 Arripit iratusque Philippi tendit ad aedes.
 Quem simul adspexit scabrum intonsumque Phi- 90
 lippus,
 'Durus' ait 'Vultei, nimis attentusque videris
 Esse mihi.' 'Pol, me miserum, patrone, vocares,
 Si velles' inquit 'verum mihi ponere nomen.
 Quod te per Genium dextramque deosque Penates
 Obsecro et obtestor, vitae me redde priori!' 95
 Qui semel adspexit, quantum dimissa petitis
 Praestent, mature redeat repetatque relicta.
 Metiri se quemque suo modulo ac pede verumst.

VIII.

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano
 Musa rogata refer, comiti scribaeque Neronis.
 Si quaeret quid agam, dic multa et pulchra minantem
 Vivere nec recte nec suaviter, haud quia grando
 Contuderit vites oleamve momorderit aestus, 5
 Nec quia longinquis armentum aegrotet in agris;
 Sed quia mente minus validus quam corpore toto

- Nil audire velim, nil discere, quod levet aegrum;
Fidis offendar medicis, irascar amicis,
10 Cur me funesto properent arcere veterno;
Quae nocuere sequar, fugiam quae profere credam;
Romae Tibur amem ventosus, Tibure Romam.
Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat et se,
Vt placeat iuveni, percontare, utque cohorti.
15 Si dicet 'recte,' primum gaudere, subinde
Praeceptum auriculis hoc instillare memento:
Vt tu fortunam, sic nos te, Celse, feremus.

VIII.

- Septimius, Claudi, nimirum intellegit unus,
Quanti me facias: nam cum rogat et prece cogit,
Scilicet ut tibi se laudare et tradere coner,
Dignum mente domoque legentis honesta Neronis,
5 Munere cum fungi propioris censet amici;
Quid possim videt ac novit me valdius ipso.
Multa quidem dixi, cur excusatus abirem;
Sed timui, mea ne finxisse minora putarer,
Dissimulator opis propriae, mihi commodus uni.
10 Sic ego, maioris fugiens opprobria culpae,
Frontis ad urbanae descendi praemia. Quodsi
Depositum laudas ob amici iussa pudorem,
Scribe tui gregis hunc, et fortem crede bonumque.

X.

- Vrbis amatorem Fuscum salvere iubemus
Ruris amatores, hac in re scilicet una
Multum dissimiles, at cetera paene gemelli
Fraternis animis quidquid negat alter et alter
5 Adnuimus pariter vetuli notique columbi.

- Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni
Rivos et musco circumlita saxa nemusque.
Quid quaeris? Vivo et regno, simul ista reliqui
Quae vos ad caelum effertis rumore secundo,
Vtque sacerdotis fugitivus liba recuso: 10
Pane egeo iam mellitis potiore placentis.
Vivere naturae si convenienter oportet,
Ponendaeque domo quaerendast area primum:
Novistine locum potiore rure beato?
Est ubi plus tepeant hiemes, ubi gratior aura 15
Leniat et rabiem Canis et momenta Leonis,
Cum semel accepit Solem furibundus acutum?
Est ubi divellat somnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum, 20
Quam quae per pronum trepidat cum murmure
rivum?
Nempe inter varias nutritur silva columnas,
Laudaturque domus, longos quae prospicit agros.
Naturam expelles furca, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix. 25
Non qui Sidonio contendere callidus ostro
Nescit Aquinatem potantia vellera fucum
Certius accipiet damnum propiusve medullis,
Quam qui non poterit vero distinguere falsum.
Quem res plus nimio delectavere secundae, 30
Mutatae quatient. Siquid mirabere, pones
Invitus. Fuge magna: licet sub paupere tecto
Reges et regum vita praecurrere amicos.
Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo 35
Inploravit opes hominis frenumque recepit;
Sed postquam victo ridens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehit improbus atque 40
Serviet aeternum, quia parvo nesciet uti.
Cui non conveniet sua res, ut calceus olim,

Si pede maior erit, subvertet, si minor, uret.
 Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,
 45 Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
 Cogere, quam satis est, ac non cessare videbor.
 Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
 Tortum digna sequi potius quam ducere funem.
 Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
 50 Excepto quod non simul esses, cetera laetus.

XI.

Quid tibi visa Chios, Bullati, notaque Lesbos,
 Quid concinna Samos, quid Croesi regia Sardis,
 Smyrna quid et Colophon? maiora minorane fama?
 Cunctane prae Campo et Tiberino flumine sordent,
 5 An venit in votum Attalicis ex urbibus una,
 An Lebedum laudas odio maris atque viarum?
 'Scis, Lebedus quid sit: Gabiis desertior atque
 Fidenis vicus; tamen illic vivere vellem,
 Oblitusque meorum obliviscendus et illis
 10 Neptunum procul e terra spectare furentem.
 Sed neque, qui Capua Romam petit, imbre lutoque
 Adpersus volet in caupona vivere; nec qui
 Frigus collegit, furnos et balnea laudat
 Vt fortunatam plene praestantia vitam;
 15 Nec, si te validus iactaverit Auster in alto,
 Idcirco navem trans Aegaeum mare vendas.
 Incolumi Rhodos et Mytilene pulchra facit, quod
 Paenula solstitio, campestre nivalibus auris,
 Per brumam Tiberis, Sextili mense caminus.
 20 Dum licet ac voltum servat Fortuna benignum,
 Romae laudetur Samos et Chios et Rhodos absens.
 Tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam
 Grata sume manu neu dulcia differ in annum,
 Vt quocumque loco fueris vixisse libenter
 25 Te dicas: nam si ratio et prudentia curas,
 Non locus effusi late maris arbiter aufert,

Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.
 Strenua nos exercet inertia: navibus atque
 Quadrigis petimus bene vivere. Quod petis, hic est,
 Est Vlubris, animus si te non deficit aequus. 30

XII.

Fructibus Agrippae Siculis, quos colligis, Ieci,
 Si recte frueris, non est ut copia maior
 Ab Iove donari possit tibi. Tolle querellas:
 Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
 Si ventri bene, si laterist pedibusque tuis, nil 5
 Divitiae poterunt regales addere maius.
 Si forte in medio positorum abstemius herbis
 Vivis et urtica, sic vives protinus, ut te
 Confestim liquidus Fortunae rivus inauret,
 Vel quia naturam mutare pecunia nescit, 10
 Vel quia cuncta putas una virtute minora.
 Miramur, si Democriti pecus edit agellos
 Cultaque, dum peregre animus sine corpore velox,
 Cum tu inter scabiem tantum et contagia lucri
 Nil parvum sapias et adhuc sublimia cures: 15
 Quae mare conpescant causae, quid temperet annum,
 Stellae sponte sua iussaene vagentur et errent,
 Quid premat obscurum Lunae, quid proferat orbem,
 Quid velit et possit rerum concordia discors,
 Empedocles an Stertinius deliret acumen? 20
 Verum seu pisces seu porrum et caepe trucidas,
 Vtere Pompeio Grospho et siquid petet ultro
 Defer: nil Grosphus nisi verum orabit et aequum.
 Vilis amicorumst annona, bonis ubi quid dest.
 Ne tamen ignores, quo sit Romana loco res: 25
 Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis
 Armenius cecidit; ius imperiumque Phrahates
 Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
 Italiae pleno defundit Copia cornu.

XIII.

Vt proficiscentem docui te saepe diuque,
 Augusto reddes signata volumina, Vini,
 Si validus, si laetus erit, si denique poscet;
 Ne studio nostri pecces odiumque libellis
 5 Sedulus inportes opera vemente minister.
 Si te forte meae gravis uret sarcina chartae,
 Abicito potius, quam quo perferre iuberis
 Clitellas ferus impingas, Asinaeque paternum
 Cognomen veritas in risum et fabula fias.
 10 Viribus uteris per clivos, flumina, lamas;
 Victor propositi simul ac perveneris illuc,
 Sic positum servabis onus, ne forte sub ala
 Fasciculum portes librorum ut rusticus agnum,
 Vt vinosa glomus furtivae † Pyrrhia lanae,
 15 Vt cum pileolo soleas conviva tribulis.
 Nec volgo narres, te sudavisse ferendo
 Carmina, quae possint oculos auresque morari
 Caesaris; oratus multa prece, nitere: porro
 Vade, vale, cave ne titubes mandataque frangas.

XIII.

Vilice silvarum et mihi me reddentis agelli,
 Quem tu fastidis, habitatum quinque focus et
 Quinque bonos solitum Variam dimittere patres,
 Certemus, spinas animone ego fortius an tu
 5 Evellas agro, et melior sit Horatius an res.
 Me quamvis Lamiae pietas et cura moratur,
 Fratrem maerentis, raptō de fratre dolentis
 Insolabiliter; tamen istuc mens animusque
 Fert et amat spatiis obstantia rumpere claustra.
 10 Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum:
 Cui placet alterius, sua nimirumst odio sors.
 Stultus uterque locum inmeritum causatur inique:
 In culpast animus, qui se non effugit umquam.

Tu mediastinus tacita prece rura petebas,
 Nunc urbem et ludos et balnea vilicus optas; 15
 Me constare mihi scis et discedere tristem,
 Quandocumque trahunt invisā negotia Romam.
 Non eadem miramur; eo disconvenit inter
 Meque et te: nam quae deserta et inhospita tesqua
 Credis, amoena vocat mecum qui sentit, et odit 20
 Quae tu pulchra putas. Fornix tibi et uncta popina
 Incutiunt urbis desiderium, video, et quod
 Angulus iste feret piper et tus ocuus uva,
 Nec vicina subest vinum praeberē taberna
 Quae possit tibi, nec meretrix tibicina, cuius 25
 Ad strepitum salias terrae gravis: et tamen urgues
 Lampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
 Disiunctum curas et strictis frondibus explēs;
 Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
 30 Multa mole docendus aprico parcere prato.
 Nunc age, quid nostrum concentum dividat, audi.
 Quem tenuēs decuere togae nitidique capilli,
 Quem scis immunem Cinarae placuisse rapaci,
 Quem bibulum liquidi media de luce Falerni,
 35 Cena brevis iuvat et prope rivum somnus in herba.
 Nec lusisse pudet, sed non incidere ludum.
 Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
 Limat, non odio obscuro morsuque venenat;
 Rident vicini glaebas et saxa moventem.
 40 Cum servis urbana diaria rodere mavis,
 Horum tu in numerum voto ruis; invidet usum
 Lignorum et pecoris tibi calo argutus et horti.
 Optat ephippia bos piger, optat arare caballus;
 Quam scit uterque, libens, censebo, exerceat artem.

XV.

Quae sit hiems Veliae, quod caelum, Vala, Salerni,
 Quorum hominum regio et qualis via (nam mihi Baias
 Musa supervacuas Antonius, et tamen illis

Me facit invisum, gelida cum perluor unda
 5 Per medium frigus. Sane murteta relinqui,
 Dictaque cessantem nervis elidere morbum
 Sulfura contemni, vicus gemit, invidus aegris,
 Qui caput et stomachum supponere fontibus audent
 Clusinis, Gabiosque petunt et frigida rura.
 10 Mutandus locus est et deversoria nota
 Praeteragendus equus. 'Quo tendis? Non mihi

Cumas

Est iter aut Baias' laeva stomachosus habena
 Dicet eques; sed equis frenatost auris in ore);
 Maior utrum populum frumenti copia pascat,
 15 Collectosne bibant imbres puteosne perennes
 Ingis aquae (nam vina nihil moror illius orae.
 Rure meo possum quidvis perferre patique;
 Ad mare cum veni, generosum et lene requiro,
 Quod curas abigat, quod cum spe divite manet
 20 In venas animumque meum, quod verba ministret,
 Quod me Lucanae iuvenem commendet amicae);
 Tractus uter plures lepores, uter educet apros;
 Vtra magis pisces et echinos aequora celent,
 Pinguis ut inde domum possim Phaeaxque reverti,
 25 Scribere te nobis, tibi nos aderedere par est.
 Maenius, ut rebus maternis atque paternis
 Fortiter absumptis urbanus coepit haberi,
 Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret,
 Inpransus non qui civem dignosceret hoste,
 30 Quaelibet in quemvis opprobria fingere saevus,
 Pernicies et tempestas barathrumque macelli,
 Quidquid quaesierat ventri donaret avaro.
 Hic, ubi nequitiae fautoribus et timidis nil
 Aut paullum abstulerat, patinas cenabat omasi
 35 Vilis et aginae, tribus ursis quod satis esset;
 Scilicet ut ventres lamna candente nepotum
 Diceret urendos corrector Bestius. Idem,
 Quidquid erat nactus praedae maioris, ubi omne
 Verterat in fumum et cinerem, 'non hercule miror,'
 40 Aiebat, 'siqui comedunt bona, cum sit obeso

Nil melius turdo, nil volva pulchrius ampla.
 Nimirum hic ego sum; nam tuta et parvola laudo,
 Cum res deficiunt, satis inter vilia fortis:
 Verum ubi quid melius contingit et unctius, idem
 Vos sapere et solos aio bene vivere, quorum 45
 Conspicitur nitidis fundata pecunia villis.

XVI.

Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti,
 Arvo pascat erum an bacis opulentet olivae
 Pomisne an pratis an amicta vitibus ulmo:
 Scribetur tibi forma loquaciter et situs agri.
 Continui montes, ni dissocientur opaca 5
 Valle, sed ut veniens dextrum latus adspiciat Sol,
 Laevum decedens curru fugiente vaporet.
 Temperiem laudes. Quid si rubicunda benigni
 Corna vepres et pruna ferant, si quercus et ilex
 Multa fruge pecus, multa dominum iuvet umbra? 10
 Dicis adductum propius frondere Tarentum.
 Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec
 Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus,
 Infirmitati capiti fluit utilis, utilis alvo.
 Hae latebrae dulces et, iam si credis, amoenae, 15
 Incolumem tibi me praestant Septembribus horis.
 Tu recte vivis, si curas esse quod audis.
 Iactamus iam pridem omnis te Roma beatum;
 Sed vereor, necui de te plus quam tibi credas,
 Neve putes alium sapiente bonoque beatum, 20
 Neu, si te populus sanum recteque valentem
 Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
 Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis.
 Stultorum incurata pudor malus ulcera celat.
 Siquis bella tibi terra pugnata marique 25
 Dicat, et his verbis vacuas permulceat aures:
 'Tene magis salvum populus velit, an populum tu,
 Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi,

Mordacem Cynicum sic eludebat, ut aiunt:
 'Scurror ego ipse mihi, populo tu: rectius hoc et
 20 Splendidus multos. Equus ut me portet, alat rex,
 Officium facio; tu poscis vilia rerum,
 Dante minor, quamvis fers te nullius egentem.'
 Omnis Aristippum decuit color et status et res,
 Temptantem maiora, fere praesentibus aequum.
 25 Contra, quem duplici panno patientia velat,
 Mirabor, vitae via si conversa decebit.
 Alter purpureum non exspectabit amictum,
 Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet,
 Personamque feret non inconcinuus utramque;
 30 Alter Miletii textam cane peius et angui
 Vitabit chlamydem, morietur frigore, si non
 Rettuleris pannum. Refer et sine vivat ineptus!
 Res gerere et captos ostendere civibus hostes,
 Attingit solium Iovis et caelestia temptat:
 35 Principibus placuisse viris non ultima laus est.
 Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
 Sedit qui timuit, ne non succederet: esto.
 Quid? qui pervenit fecitne viriliter? Atqui
 Hic est aut nusquam, quod quaerimus. Hic onus
 horret,
 40 Vt parvis animis et parvo corpore maius;
 Hic subit, et perfert. Aut virtus nomen inanest,
 Aut decus et pretium recte petit experiens vir.
 Coram rege sua de paupertate tacentes
 Plus poscente ferent: distat, sumasne pudenter
 45 An rapias; atqui rerum caput hoc erat, hic fons.
 'Indotata mihi soror est, paupercula mater,
 Et fundus nec vendibilis nec pascere firmus'
 Qui dicit, clamat 'victum date.' Succinit alter
 'Et mihi dividuo findetur munere quadra.'
 60 Sed tacitus pasci si posset corvus, haberet
 Plus dapnis, et rixae multo minus invidiaeque.
 Brundisium comes aut Surrentum ductus amoenum,
 Qui queritur salebras et acerbum frigus et imbres,
 Aut cistam effractam et subducta viatica plorat,

Nota refert meretricis acumina, saepe catellam, 55
 Saepe periscelidem raptam sibi flentis, uti mox
 Nulla fides damnis verisque doloribus adsit.
 Nec semel inrisus triviis attollere curat
 Fracto crure planum, licet illi plurima manet
 Lacrima, per sanctum iuratus dicat Osirim: 60
 'Credite, non ludo; crudeles tollite claudum.'
 'Quaere peregrinum' vicinia rauca reclamant.

XVIII.

Si bene te novi, metues, liberrime Lolli,
 Scurrantis speciem praebere, professus amicum.
 Vt matrona meretrici dispar erit atque
 Discolor, infido scurrae distabit amicus.
 Est huic diversum vitio vitium prope maius, 5
 Asperitas agrestis et inconcinna gravisque,
 Quae se commendat tonsa cute, dentibus atris,
 Dum vult libertas dici mera veraque virtus.
 Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.
 Alter in obsequium plus aequo pronus et imi 10
 Derisor lecti, sic nutum divitis horret,
 Sic iterat voces et verba cadentia tollit,
 Vt puerum saevo credas dictata magistro
 Reddere, vel partes mimum tractare secundas;
 Alter rixatur de lana saepe caprina, 15
 Propugnat nugis armatus: 'scilicet, ut non
 Sit mihi prima fides et, vere quod placet, ut non
 Acriter elatrem, pretium aetas altera sordet.'
 Ambigitur quid enim? Castor sciat an Dolichos
 plus;
 Brundisium Minuci melius via ducat an Appi. 20
 Quem damnosa venus, quem praeceps alea nudat,
 Gloria quem supra vires et vestit et unguis,
 Quem tenet argenti sitis inportuna famaeque,
 Quem paupertatis pudor et fuga, dives amicus,
 Saepe decem vitiis instructor, odit et horret, 25

Aut, si non odit, regit ac veluti pia mater
 Plus quam se sapere et virtutibus esse priorem
 Volt et ait prope vera: 'meae (contendere noli)
